



**Historia de vita Imp. Caes. Henrici IIII. Aug. et Hiltebrandi,
Pontificis Rom. cognomento Gregorii VII. : circa ea tempora,
quibus vterque vixit, conscripta.**

<https://hdl.handle.net/1874/427115>

HISTORIA
DE VITA IMP. CAES.
HENRICI III. AVG. ET HILTEBRANDI,
PONTIFICIS ROM. COGNOMENTO GRE-
GORII VII. circa et tempora, quibus uterque
vixit, conscripta.



FRANCO FVRTI
Apud Andream Wechelum,
M. D. LXXXI.

ИСТОРИЯ
ДЕ ВИАТИМПЕ ЦАРЯ
АНДРЕЯ ПЕРВОГО
ПОНТИФИКА РОМАНСКОГО КОМУНГО ГЛА
ГОРИ АУЛ СИСТРАНОВСКИЙ ДИПЛА АСИДА
ВИКС СОУГИБА



ИСТОРИЯ
ДЕ ВИАТИМПЕ ЦАРЯ
АНДРЕЯ ПЕРВОГО
А М

MAGNIFICO VIRO, ERV-
DITIONE DOCTRINÆ, FACUNDIA, DI-
gnitate & virtute clariss. Dn. VITO ORTELIO WINSEMIO F.
Doctori & professori Iureconsulto, illustriss. Electoris
Saxon. &c. Consiliario, Patro-
no S. obseruand.

S. D.

REINERVS REINECCIVS STEINH.



A X I M A M semper vim tempora habuere: & stu-
dia hominum diuersa non possunt non sentētias at-
que iudicia diuersa parere. Vtriusque, ut infinita
exempla alia omittam, memorabile nobis docu-
mentum præbet maximi & fortissimi Imp. Cæs.
HENRICI IIII. historia. Hic enim veleo sal-
tē nomine præclarissimè de Imperio meritus, quod
pro maiestate & dignitate huius propugnauit con-
stantissimè, nec eam imminui, quātum in ipso esset,
passus unquam fuit, quanto sui temporis odio publico flagravit? quām fœdissi-
mis scriptorum maledictis laceratur? Contrà verò in aduersariis ipsius facile
princeps HILTEBRANDVS Monachus, cognominatus in Pontificatu
Gregorius VII. tametsi nefariorum scelerum cumulatissimus extiterit, tamen
quām benigna fermè omnium studia habuit? quanta cum scriptorum commen-
datione celebratur?

N O N possunt autem non, qui de his Annales perlegunt, graui dubitatio-
ne suspensi teneri. Et temerarium videtur, atq; insolens, ab iis, quæ tradita à
plurimis sunt, discedere. Verùm ex eo tanquam labyrintho eluctari ei dif-
ficile non fuerit, qui normam veritatem potius, quām affectiones vel suas vel
alienas sequi maluerit. Ut ut enim è scriptoribus alijs alio inclinatione propen-
deant, ut ut sua tanquam ῥησοφύγεται querant, hæc tamē occultari non potuit.
Ac præstabitur ab eo quasi fundamento negotio nullo, ut ne alienarum quis sen-
tentiarum seruus esse cogatur, sed de re, ut se habet, iudicium ipsem et facere li-
berum posse.

O D E R I T sanè dementata superstitionum fascino sua HENRICVM
IIII. ætas, suspexerit è diuerso HILTEBRANDVM: & ad idem exem-
plum ita se scriptores accommodarint, ut hunc laudibus in cœlum efferat, illum
conuiciis proscindant acerbissimè. Nihil hoc apud eos, qui veritatis amore te-
nentur, & causam ponderant, quam defendendam uterque suscepit, vel Cæsa-
ri derogat, vel Hiltebrandum à scelestissimi instituti crimine liberat. Etenim
ut inter se ambos conferamus, vixerat adolescentulus Henricus (neque enim
hoc negari potest) dissolutius: & ij, in quorum esset potestate, multa proterue,
multa insolenter egere. Studuit hoc, ubi ætas maturuit, emendare, sed ut seue-
ritate viiminius tempestiuæ existimaretur, & suspicionem incurreret, quod ita

à paucis penderet, ut reliquos despiceret. Addidit his arces per Saxoniam, sibi
 quidem contra vim subitam receptaculum tutissimum, sed quibus gentis liber-
 tati insidiari crederetur. Ergo alienatis inde ab eo animis plurimorum, ubi ea-
 dem alienatio denique in bellum erupit, aduersarij armis impares, & omnino de
 Cæsar's reconciliatione desperantes, ad Religionis præsidium confugiunt: Cæ-
 sarem Hildebrando Pontifici de atrocibus criminibus accusant, & ut partes is
 ipsorum constantius tueretur, hoc tanquam bolo hominem, ambitione perditū,
 inescant: Esse proprium ipsius munus, Cæsarem creare: & eam dignitatem ur-
 bis Romæ beneficium censeri: incumberet ergo in hanc curam, dignus quispiam
 imperium ut gereret: Roma ius suum defenderet. Fuisse autem Hildebrandum
 professione initio Monachum, accepimus: A quasimulta humilitate deinde
 paulatim altius progressus, Pontificatum tandem artibus consecutus est pessi-
 mis. Adhuc priuatus id egerat, ut repetita ab HENRICO III. sanctio ve-
 tus, qua Pontificum creandorum ius ad Cæsarum assensum restringebatur, ab-
 oleretur. Quod quia tum non successerat, postquam haec tam ampla delata ipsi
 potestas fuit, ratus occasione ea rei felicius gerendæ, & potentiae suæ amplifican-
 dæ, ut se opportunitatem posse, cupidissime, & quod aiunt, ambabus manibus
 eam amplectitur: Cæsari neque audito, neq; quorum insimulabatur criminum
 conuicto, diras obnunciat, & ut ipso eum deturbaret Imperio, ordines uniuersi-
 os sacramenti religione soluit: Cum ad haec ausa & per Germaniam aduersarij
 Cæsari Principum studia, & Normannorum ac MATHILDIS, Co-
 mitis per Italiam potentissimæ, societas, ipsum confirmarent. Nec iacta ab illo
 alea ista frustra fuit: Quippe unde eam telam inchoarit, quam successores per-
 texentes, Cæsarum inclinatam potetiam euerterint, suam stabilitam auxerint.
 Etsi enim Henricus, quia aliter se suaque praestare salua, & retinere in officio
 Principes ac populum nequivuit, nimis humili abiectione Hildebrando Canusij
 supplicauit, & expiationem impetravit, nequaquam tamen hoc accipi ita Pon-
 tifex voluit, quod eare etiam in Imperium illum restituisset, aut teneri ordines
 iterum sacramentis eius vellet. Et cum Cæsar deinde propter Imperij negotia
 substitisset in Italia diutius, ac Principes aduersarij interea Forchemij congre-
 gati, ex Pontificis auctoritate Henrico Imperium abrogassent, ut RVDOL-
 FVS ei surrogaretur, per legatum suum permittit, vel potius negotium hoc ve-
 hementer adiuuat. Inde bello accenso funestissimo, & toti Germaniae exitiali,
 Hildebrandus suo seruiens instituto, cum in potestate se fore ipsius Rudolfus re-
 cepisset, hunc aperte defendit, Henricum vero iterum diris obstringit: Ac si
 lentibus inter arma legibus, in Imperatorum præcipue iniuriam promulgatam
 quidem iam ante, sed successu nullo, ursit tum legem vehementius, ut ne scili-
 cet dignitates ecclesiastice ab laico quoq; peterentur, tacite potestatem illam
 sibi vendicās, seu istud re & veritate spectans, ut sola quidem collegiorum suf-
 fragia valerent, ipse vero haec auctoritate & consensu suo moderaretur, Impe-
 ratoribus exclusis. Deinde vetera sed impia Cyricij & Gregorij Magni de sa-
 cerdotum coniugiosis interdicta renouat, & ita renouat, ut etiam iam contracta
 dissoluerit, nefaria appellatione hæresin Nicolitarum nuncupans. Quāquam
 vero Henricus difficultibus circumiectus multiplicibus, opitulari ordini Ec-
 clesiasti-

P R O O E M I V M .

clericalis, hucque ab eo iugo defendere, nequivit, aut etiam, quae tum persuasio
hominum mentes occuparat, id ad munus suum non admodum pertinere existi-
mavit, de Imperio tamen ita nūquam animum despōdit, ut subiicere hoc Pon-
tificum libidini, aut ius conferēdi Ecclesiasticas dignitates, à maioribus per ma-
nus traditum, & recenti patris decreto sic stabilitum, ut & ipsi Pontifices eo
comprehenderentur, id est, tum demum nomen id gerere permetterentur, si
Cæsar, si reliqui Imperij ordines, comprobassent, concedere his unquam vellet:
Cumq; ut religionibus solueretur, & in reipub. tranquillitatem consuleret, sape
cum Pontificibus componere studebat, dignitatem tamensuam, quam istis duo-
bus capitibus intelligi volebat, semper exceptit. Hinc iam studia partium acer-
rima extitere, aliis, iisq; numero plurimis, pro Pontifice, aliis pro Cæsare propu-
gnantibus. Qui cum Pontifice faciebant, in Cæsare animum præfractum crimi-
nabantur, & Ecclesiae ac religionis contemtorem atque hostem nuncupabant:
ex hoc frigido commento arguento petito, quod Pontifici omnes dicto audien-
tes esse oportet. Econtrario Cæsariani nihil valere Pontificis anathema tan-
quam iniustum contendebant, urgebant vetera Imperatorum iura, & iuris in-
randi religionem, quam tam Pontifex ipse quam Principes atque populus præ-
stisset: Addebat deinde de Hiltebrando, minus huius auctoritati tribuen-
dum, quod Pontifex creatus vitio esset, & scelerum plurimorum infamia labo-
raret. Quæ ita per summam animorum contentionem, & stylo & armis disce-
ptata, et si in eum tandem finem desiere, ut HENRICVS à Rudolfi cæde Hil-
tebrandum, turbarum omnium auctorem, & ipsius vitæ aliquoties insidiatum,
Pontificatu deturbarit, surrogato ei CLEMENTE III. & post Herman-
ni ac Ecbertri memorabilem occasum, rebus in Germania compositis, etiam Ita-
liam pacarit, periuicit tamen religionis tum creditæ opinio, qua suam præcipue
Hiltebrandus causam venditabat. Qui cùm iam Salerni exul tertium in Hen-
ricum diras vibrasset, secuti exemplum idem sunt, suffecti illi à Mathilde &
Normannis, Victor & Urbanus. A postremo per Mathildem in partes tradu-
ctus CONRADVS, Henrici filius, atque à patre alienatus, cùm Clementem
urbe pepulisset, patris fortunam, quæ inter aduersitates multiplices hactenus ta-
men se conseruarat, primus inclinavit: Atque exinde, qui surrogati à Cæsaria-
nis Clementi fuere, extorres & exules fere per Italiam vagatis sunt. Per traclus
in eandem postmodo nassam fuit PASCHALIS II. temporibus, qui Ur-
banus successerat, alter Cæsaris filius, HENRICVS: Qui et si patri iuratus, &
hoc summo beneficio obligatus, quod in Imperio declaratus successor erat, pro-
pterera tamen à fide eius se discedere posse persuaderi sibi passus fuit, quod cùm
ille ex Ecclesia proscriptus esset, obstringeret sacramento neminem. Et quia Cæ-
saris hostes veteres tum iterum se cōmouerent, & coniungeret se Paschalis Pon-
tífex, uno quasi momento res illius cum causa ipsa eversæ fuere. Nam Henricus
F. palam pro Pontifice propugnauit, & hic è diuerso in Cæsarem antecessorum
execrationes renouauit. Qui cùm deinde post multa ludibria non diu superstes
fuisse, et si Henricus F. iam confirmato Imperio, postquam serò tandem cum
Phrygibus sapiens, in quas se angustias cōiecisset, ut nimium Pontifici obsecun-
dando Imperatorum iuratae actasset, intelligere cœpit, in Ecclesiasticas di-

gnitates ius à Paschali repetit, frustra tamen hoc fuit: atque anathematis fulmine propterea ipse etiam ictus, & in summum dignitatis suæ & fortunarum discrimen adductus, diplomate id confirmare Calixto II. compulsum fuit. Tentauit aliquanto post simile quiddam successor LOTHARIVS: sed dirarum Pontificiarum & turbarum nouarum formidine, cum non nihil etiā D. Bernhardi precibus largiretur, rursus destitit. Iamq; parte hac Pontifices superiores, urgere mox alterum ab Hildebrando intentatum Imperatoribus iugum de iure Imperij ad ipsos pertinente, ubique cōmodè potuere, non cessarunt. Quod licet in se etiam tentare ausum Adrianum III. masculè retuderit FRIDERICVS Barbarossa, neque Henricus VII. sibi à Cardinalibus obtrusum insurandum, quo Pontifici deuinciretur, præstare voluerit, restamen per Clementem V. eò deuenit, ut formulam ille iuramenti solennis promulgarit, & Clementinis suis inseruerit. Vnde fieri hodie & paulo superiore ætate videmus, ut cum Pontifices antè Cæsares dominos agnoscere, & in verba horum iurare cogentur, nunc vice versa præstare hoc Pontificibus Cæsares teneantur.

HÆC cum ita sint, & eam Hildebrādus, eam Henricus causam propugnari, ceu tenebris quibusdam de mentis acie discussis, aliter de illis nos iudicare, necesse fuerit. Et patet iam hinc temporis illius vesania, patet scriptorum ipsorum improba peruersitas. Cui hoc addo, redire inde suum magistratui summo, qui Cæsar is est, honorem, huiusq; vindicari existimationem, vindicari pro repub. susceptos labores honestissimos. Quemadmodum cōtrà in reprehensionem iustum incurrit proterua & malitiosa Hildebrandi ambitio: Qua id Imperio inflictum vulnus fuit, cui cicatrix obduci nunquam potuerit, & imperatores ipsos in ordinē redactos non modica seruitute obstrinxerit. Quid? quòd eiusdem scelere datae in re Ecclesiastica turbæ grauissimæ, abolito, ut diximus, penitus sacerdotum coniugio: Vnde quæ calamitates orbem Christianum inundarint, plus satis iam ab aliis demonstratum est, & agnoscere id tandem ipsi Pontifices cœpere, qua de re Pij II. & Pauli III. nota exempla: prodiitq; tandem ex eadem veluti officina recens ista omnibus q; modis execranda Alombratorum in Hispania secta.

CÆTERVM qui de HENRICI Cæsar is & HILDEBRANDI historia peculiaribus scriptis explicarunt, quantum quidem mihi constat, aut videre contigit, duo è veterioribus extant præcipue: de Henrico auctor ariovulos, de Hildebrando Benno Cardinalis: Quibus eo maior deberifides videtur, quòd per ea tempora vixerint, quòd non audita, sed visa, & quorum adeò pars fuere, commemorent. De auctore ariovulo, ut ne quis fuerit, sciatur, sua ipse timiditate fecit. Cum enim in usum priuatum Historiam illam, aut, si cui de argumento magis denominatio isthæc placeat, apologiam conscripsisset, ea lege cū amico communicauit, ut is vel supprimeret, vel si ederet, nomen suum tegeret: veritus nimirum & hostium Henrici iniurias, & toti mundo tunc formidable Pontificij anathematis fulmen. Bennonis παρόντας quin veritas expressebit, dubium nullum est: Etsi oratio ipsius minus bona, & expositionis contextus perturbatior est, sic ut farraginem potius quam historiam dicere possimus. Fuerit quod & hoc quispiam meritò in eo desideret, quòd de natalibus Hildebrandi, &

PRO OÈ M I V M.

7

di, & primæ etatis studiis, nihil habet. De quibus quæ in nostris Annalibus reperissem, breuiter hic in sero. Natum illum ferunt loco humili, hoc est, patre fabro materiario, homine Senensi. Cui cum adhuc puer ligna cædenti ad pedes luderet, hoc futuræ potentiae præsigum edidit, quod seu casu seu præstigio quibusdam, quibus postea deditissimus fuit, reiectanea in litterarum formas, quæ Psalmi 72. versum hunc exprimerent: Dominabitur à mari usque ad mare, composuit. Isthuc enim & accipere tum pater iussus fuit, & postea euentus comprobauit. Vixit deinde aliquantis per in Imp. Cæs. HENRICI III. aula: Cui ex somnio quodam suspectus factus (viderat enim per quietem Cæsar, domum suam ab eo oppugnatum iri) cum emergere ibi non posset, cucullum sumit. A quo tempore, quæ ambitionis insanæ conatu suscepit egeritq; magis compendiario quam historicostylo, Benno pertexit, & ita pertexit, ut monstrum hoc, in Ecclesiæ & Imperij perniciem natum, iustis de pingere videatur coloribus.

QVIA autem utriusque scripti iam pridem exemplaria desiderabantur, & lectio audiè expetebatur à plurimis, repetere nobis editionem ex iis exemplaribus, quæ nancisci potuimus, visum fuit: Cum stimulum adderet, quod alii cubi nonnullam fortunæ nostræ imaginem (modo tamen comparare magnis parualicet) recognosceremus. Cui operæ nostræ tuum quasi patrocinium addidi, VITE WINSEMI, V. Cl. atque ampliæ. quod ad reliqua doctrinarum studia, quibus & summorum Principum tibi fauorem conciliasses, & famam nominis inter homines doctos promeruissest illustrem, etiam historiae tractationem adiçere non ignauam soleres: Quandoquidem ab excellentissimi & felicissimi ingenij solertia facile perspiceres, ut in artibus intelligi regulæ & præcepta absque exemplorum prolatione & usu nequeunt, ita & ciuilem prudentiam præcipue historiarum exemplis niti, expoliri & confirmari. Accessit deinde causa altera, quod ex gente ea genus & originem duceres, in qua Henricus III. florisset: nec ciui, patriæ amantissimo, tantus Princeps hospes ingratus futurus videretur. Quod si & hoc de me adiçere par est, ea scilicet extant in me merita tua, ut cum referendæ gratiæ non sim, ad voluntatis memoris edendam testificationem tenear. Ergo officium nostrum ita accipias, ut nos tui observantissimos benevolentia complecti solita, mihiq; perspicillissima, & ornare officiis, pergas, oro obsecro. Quæ meæ erunt partes, has eo studio ea fide tuebor, ut nihil fuisse mihi antiquius intelligas. Bene feliciterq; vale.

Francofurto ad Viadrum, VIII. Cal. August.

CIC. IO. XXC.

a iiiij



VITA HENRICI IIII. CAE
SARIS AVGVSTI, DVCIS BAVARIÆ
VII. PAVLO POST MORTEM ILLIUS
à quodam eius temporis conscripta.

PRO O E M I V M .

*Auctoris
threns.*



*Communi-
catio.*

Dolor.

*Tum de-
nique homi-
nes nostra
intelligim-
bona, Cum
qua in pore-
state habui-
mus, ea ami-
simus.*

Vis dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, ut lugeam non excidia capte urbis, non captiuitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum, sed mortem Henrici Imperatoris Aug. qui spes mea & vincum solatium fuit, imò vt de me taceam, qui gloria Rōmæ, decus Imperij, lucerna mundi extitit? Erit post hac mihi vita iocunda? erit absque lacrymis dies aut hora? aut tecum, ô dulcissime, potero illius mentionem habere sine fletu? Ecce dum scribo, quod dictauit impatientia doloris, cadunt lachrymæ, madent fletu literæ, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forsitan impatientiam doloris mei redarguis, & vt fletum meum reprimam, ne forte iis, qui de morte Imperatoris gaudent, innotescat, instruis. Rectè me doces, fateor: Sed non possum imperare mihi, quin doleam, non possum me continere quin lugeam, licet in me furorem suum ex- acuant, licet me membratim discerpere cupiant: dolor timere nescit, dolor illatas pœnas non sentit. Nec ego solus mortem eius lamentor: hanc Roma plangit, hanc omne Romanum imperium deflet, hanc in commune diuites & pauperes, præter insidiatores potentiae vitaç eius, lugent. Nec mihi priuata doloris causa est: publicam lamentari cladem pietas me cogit. Nam illo recedente, iusticia terras reliquit, pax abiit, fraus in locum fidei subintravit, chorus laudantium Deum conticuit, solennitas officij diuinis filuit, vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum non auditur: quia qui hæc omnia solenniter ordinauit, non inuenitur. Monasteria patronum suum, claustra patrem amiserunt, quibus quid commodi quid honoris ipse conferret, nunc demum agnoscitur, cùm extinctus ea non tenet. Ergo claustris omnibus vera dolendi causa subest: Nam cum illo sepulso gloria eorum sepulta est. Heu Moguntia, quantum decus perdidisti, quæ ad reparandam monasterij tui ruinam talem artificem amisisti? si superstes esset, dum operi monasterij tui, quod incepérat, extremam manum imponeret,

DE VITA HENRICI IIII.

Fanum Spirensi.

imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi monasterio contendere, quod ille à fundo fundatum usque mira mole & sculptili opere compleuit, ut hoc opus super omnia regum antiquorum opera laude & admiratione dignum sit. Qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus preciosis & sericis vestibus illi monasterio cötulerit, difficile est credere, nisi cui contingit & videre. Vobis quoque, ô pauperes, vel maxima causa dolēdi est: nam nunc demū pauperes facti estis, cùm paupertatis vestræ consolatorem amisistis: ille vos pauit, ille manibus suis lauit, ille nuditatem vestrā texit: non ante ianuam, sed ante mensam eius Lazarus iacuit: nec micas, sed regias delicias expectauit. In ipsa mensa famem & fœtorem ulcerosi non abhorruit, cùm minister mensæ contra fœtentem nares corrugaret, aut obstiparet. In cubiculo eius cæci, claudi, & diuersis morbis confecti iacebant; hos ipse met exalceabat, hos collocabat, hos de nocte consurgens tegebat, nec abhorrebat vel eius tactum, quem ægritudo compulerat usque ad sordidandum lectum: iter eius pauperes præcedebant, comitabantur, sequebantur: quorum curam tametsi suis intimis commendasset, ipse met tamen eos tanquam nulli commendatos curabat. Sed & per curtes suas usquequaq; stipendia pauperibus disposuerat, quorum numerum & obitum ipse scire voluit, vt & defuncti memoriam ageret, & in eius locum alterum subrogatum nosset. Sed quando sterilitas anni famem indixit, multa millia pauēda suscepit, verè memor verbi dominici præcipientis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiat vos in æterna tabernacula. Quid putamus quo dolore pauperes afficiuntur, cùm hæc bona, quæ enumerauimus, se habuisse, & nunc non habere, recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis querit ubi æger cubet, vel quid alimenti postulet? quis amplius iis misericordiæ officiis inseruit, quibus Henricus Imperator inseruiuit? O virum pietatis & humanitatis laude insignem! Imperauit mundo, pauperes illi: Mundus illi, pauperibus ipse ministrauit. Hæc de bono misericordiæ in pauperes, quos multum amauit: & quod ab hominibus abscondi non potuit, non pro dignitate facti, sed pro facultate ingenij primò locuti (quis enim scire posset, quæ solo Deo teste peregit?) de aliis quoq; virtutibus, quibus claruit, aliqua dicamus: Nam omnia dicere non sufficimus. Nemo miretur, si luctui mortis eius vitæ quoque eius læta gesta immisceam, cùm hic mos dolentium sit, vt cùm extinctum amicum lugent, totam eius retro vitam & mores in argumentum doloris sui edisserant. Itaque iuuat me de eo scribere, iuuat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viueret gaudium meum fuit. Ille modò personam Imperatoris, modò tanquam militis gerebat: ex uno gerendæ dignitatis, ex altero documentum præbens humilitatis. Tam subtilis ingenij tamque magni consilij fuit, vt dum sententia principum vel in causa decernendi juris, vel in tractandis regni negotiis hæsita-

*Henric. III.
benignitas
& comitas
erga ege-
not.**Virtus be-
læca.**Solertia.*

*Prudentia
et sagacis-
tiae.*

*Statuta ho-
roca atque
auctoritas.*

*Rex Gra-
cia.*

*Rex Afri-
ca.*

*Henrici in
facinorosis
pletēdē se-
veritatis.*

*Auctor Gel-
historiā Vel
nōmē suum
Gult suppri-
mis.*

ret, ipse citò nodū solueret, & quid equius, quid utilius esset, tanquam ex ipsius arcano sapientiæ sumptum, edocent. Intendebat aliorum verbis, ipsemē pauca loquebatur: nec prius ad sententiam erumpēbat, sed aliorum expectabat. In cuius vultum aciem oculorum suorum fixisset, eius animi motus perspiciebat, videbatque tanquam lynceis oculis, siue aduorsum se corodij, seu gereret amoris. Nec illud laude vacat, quòd in turba procerum cæteris eminentior & maior seipso videbatur, & quod in vultu terrible quoddam decus præferebat, unde intuitus aspicientium tanquam fulmine reuerberaret, cùm inter domesticos suos, & raram turbam, vultu placidus & statura æqualis appareret. Non solum potentes imperij sui metuebanteum, sed & reges orientis & occidentis adeò fama eius perterrituit, vt antè tributarij sint facti, quām victi. Ipse Rex Græciæ vt metum dissimularet, amicitiam eius expetebat, & quem futurum hostem timuit, muneribus ne fieret hostis, præuenit. Testatur hoc aurea tabula Spirensis altaris, tam artis nouitate, quām metalli pondere miranda; quam Rex Græciæ dum Imperatoris votum & studium circa Spirensē monasterium feruere cognosceret, nobile donū & tam eo qui misit, quām cui mittebatur, dignissimum transmisit. Sed & Rex Africæ quia potentiam Imperatoris timuit multum, eius fisco multum addidit. Oppressores pauperum oppressit, raptiores in direptionem dedit, contra se contumaces, contraquæ suam potentiam se leuantes, adeò retudit, vt in posteris eorum regiæ vindictæ vestigia vel hodie compareant: quo nimurum facto & suis in præsenti, & Imperij rebus in futurum prouidit, vt discant non disturbare pacem, non armis imperium vexare. Hic velim abrumpere stylum: nam ventum est ad factiones, ad fraudes & sceleras, de quibus vera scribere periculum, falsa crimen est: hâc lupus, hâc canis vrget. Quid igitur faciam? eloquar an fileam? manus incipit & dubitat, scribit, & renuit, notat & delet, vt penè ignorem, quid velim: Sed turpe est inceptam materiam mutilatam relinquere, & caput absque manibus pinxisse. Pergam igitur, vt cœpi, constans & securus inde, quòd fides tua ea mihi perspecta est, vt hæc scripta nulli detegas, aut si qua foras exierint, autorem non prodas.

HENRICI IIII. CÆSARIS AV- GVSTI VITA.

*Status Im-
perij post
mortē Hen-
rici III.
Cef.*

*Agnes Au-
gusta.*



V M Imperator Henricus, de quo nobis sermo est, patri suo gloriissimo Imperatori, tertio Henrico, adhuc puer succederet in regnum (nam illo paruulo pater naturæ concessit) regno priorem statum adhuc tenente, non bella pacem disturbabant, non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur. Adhuc iustitia sui vigoris, adhuc potestas sui juris erat. Hunc beatum regni statum Agnes Imperatrix serenissima, virilis ingenij fœmina, multum iuuit, quæ vnâ cum filio Rem-

Rempublicam pari iure gubernauit. Sed quoniam ætas immatura parum timori est, & dum metus languet, audacia crescit, pueriles anni regis multis suggerebant animum sceleris. Igitur quisque nitebatur maiori se æqualis, aut etiam maior fieri: multorumq; potentia scelere creuit. Nec legis metus ullus erat, quæ sub rege paruulo, paruulam authoritatem habebat, & vt omnia licentius facere possent, primo puerum matres spoliabant, cuius maturam sapiētiam, grauesq; mores metuebant, illud causantes, non decere regnum administrari à fœmina, cùm multæ reginæ legantur administrasse virili sapientia. Sed postquam rex puer de sinu matris abstractus in manus principum nutriens venit, quicquid illi præscribebat faciendum, vt puer fecit: Quem volebant, exaltauit, quem volebant, depositit, vt regi suo non tam ministrasse, quām imperasse meritò dicantur. Cùm regni causam tractabant, non tam regi, quām suæ causæ consulebant: Idq; præcipuum eis fuit in omnibus quæ agerent, ante omnia suum quæstum facere. Fuit hæc perfidia vel maxima, quod eum quasi sub sigillo seruandum in puerilibus actis suæ potestati relinquebant, vt & sic elicerent ab eo, quod affectabant. Sed cùm in eam ætatis & ingenij metam euasisset, vt quid honestum, quid turpe, quid vtile, quid non, discernere posset, retractans quæ suggestione principum inductus gessisset, multa quæ gesserat, damnauit: Et ipse iudex sui factus, ex iis mutanda mutauit. Prohibebat quoque bella, violentiam & rapinas. Nitebatur pulsam pacem & iusticiam reuocare, neglectas leges restituere, & sceleris licentiam resecare. Quos assuetos sceleri, per edictum coercere non potuit, per censuram legis & jus curiæ, mitius tamen quām culpa exigebat, correxit. Quod illi nō iusticiam sed iniuriam putantes, & qui per omne nefas ruebant, frena pati respūtes, qualiter eum vel extinguerent, vel priuatum facerent, consiliis incumbebant, non recolentes se debere ciuibus suis pacem, regno iusticiam, regi fidem. Igitur Saxones, gens dura, bellis aspera, tam præceps ad arma quām audax, vendicans sibi prærogatiuam laudis ex incepto furoris, repente super regem armis ruebant. Qui cum paucis contra inumeros armatos, confligere periculose existimans, vix elapsus vitam laudi, salutem fortunæ prætulit. Itaque videntes incepsum suum votis non respondisse, ossa filij regis: nec dum enim Imperator factus erat (ò inhumanam mentem, ò probrosam vindictam!) effodere. Qua vtraque iniuria grauiissima rex commotus, exercitum contra illam gentem duxit, conflixit, vicit: Vicit, inquam, aciem contras instructam, non obstinationem erectam. Nam licet eos in pugna congressos vinceret, viatos fugaret, fugatos persequeretur: licet bona eorum deuastaret, munitiones euerteret, & omnia quæ victori libent, faceret, non tamen ad deductionem cogi potuerunt. Iterum cùm inde digressus, reparato in breui exercitu, eos inuaderet, diffidentes viribus suis, vt pote in priori bello grauissimè contusis, quod saluti proximum erat, se dedidere, spe-

Occasionis
barum.Henric. III.
puer à ma-
tre abduct,
omnia ad a-
liorum pro-
scriptum a-
git.Corrumpi-
tur nimia
captatorum
indulgentia.Exephbus
adolesceria
peccata cor-
rigit.Vocatur in
odium.Saxones in
armis.Sepulcrum
filij Henrici
solatum.Saxonum a-
ctes non ob-
stinatio vi-
cta.

HISTORIA DE VITA

rantes regem sola ditione contentum gratiam suam facile donatu-
 rum. Sed longè præter spem euenit: nam rex eos exilio addicatos, in ali-
 enas terras misit, vbi dura custodia cōstricti, relaxationis edictum ex-
 pectarent. De quo exilio alij fuga elapsi, alij propter pecuniā à custo-
 dibus dimissi dum ad patriam & domum suam repedassent, recenti
 coniuratione se inuicem obligabant, vt parati essent, antē mori, quām
 denuo ditioni subiici. Sed & validior eorum coniuratio facta est,
 quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bauarorum, Sueorū,
 data & accepta fide, illis conglutinati sunt, qui regem bellis vndique
 pulsarent. Videntes autem regem bellis tangi posse, non deiici: vexari,
 non superari: quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile: vt vires e-
 ius extenuarent, cōfictis cōscriptisq; super eo criminibus, quę pessima
 & immundissima potuit odium & liuor excogitare, & quę mihi scri-
 benti & tibilegenti nauseam pararent, si ea ponerem, vera fallis mi-
 scentes, apud Romanum pontificem Gregorium septimum eum de-
 ferebant: non decere tam flagitosum, plus notum crimine quām no-
 mine, regnare: maximè cùm sibi regiam dignitatem Roma non con-
 tulerit: oportere Romę suū ius in cōstituendis regibus reddi: prouide-
 rent Apostolicus & Roma ex consilio principū, cuius vita & sapientia
 tanto congrueret honori. Qua surreptione delusus Apostolicus, si-
 mul & honore creandi regis, quem sibi fallaciter obtulerat, impulsus,
 regem banno innodauit, & Episcopis aliisque regni principibus, vt à
 communione excommunicati regis se retraherent, denunciauit: Seci-
 tò venturum in Teutonicas oras, vbi de negotiis Ecclesiasticis & potis
 simum de regno tractaretur. Quin etiam & hoc addidit: absoluit o-
 mnes à iuramento, qui fidem regi iurauerant, vt contra eum impelle-
 ret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis dispi-
 cuit (si cui displicere licet, quod Apostolicus fecit) & asserebant, tam
 inefficaciter quām illicite factum quod factum est. Sed non ausim af-
 fitiones eorum ponere, ne videar cum eis Apostolici factum refelle-
 re. Mox & Episcopi, tam illi quos amor, quām quos timor in partem
 regis traxerat, metuentes ordinis suo, ab eius auxilio se pleriq; retrah-
 bant: quod & maior pars procerum factitabat. Tum verò videns rem
 suam in arcto sitam, inito tam occulto quām astuto consilio, subitum
 & inopinatum iter in occursum Apostolici arripuit, vnoq; facto duo
 peregit, scilicet & banni solutionem accepit, & suspectum sibi collo-
 quiū Apostolici cum aduersariis suis ipse medius intercepit. Pro im-
 posito sibi crimen parum respondit: Quia ad accusationem inimi-
 corum suorum, et si vera fuisset, nō sibi respondendum asseruit. Quid
 vobis profuit hoc egisse, vt banno illigaretur, cùm de banno solitus
 potentia sua potenter vtatur? Quid vobis profuit, eum factis crimi-
 nibus accusasse? cùm accusationem vestram facili responso, vt ventus
 puluerem, dissipauerit? Imò quę dementia vos contra regē vestrum
 & orbis rectorem armavit? Nihil cōjurata vestra malignitas proficit,
 nihil

Infelix de-
 dictio.
 Indenata
 confiratio
 & rebellio.
 Henricus ac
 cusatur Gre-
 gořio VII.
 Papa.
 Declaratur
 abstentia.
 Ofcelestum
 institutum.
 Defectio-
 nes ex ana-
 themate.
 Henricus ad
 Papam pro-
 fectio & ex-
 piatio.
 Apostrophe
 ad Cesaris
 aduersarios
 Gehemens.

nihil peragit. Quem D E I manus in regno firmavit, vestra deiicere non poterit. Vbi fides, quam illi iurastis? Quare beneficiorum, quæ regia liberalitate contulit in vos, obliti estis? Vtimini vel adhuc sano consilio, non furore, poeniteat vos incepti, ne fortior vobis superueniens vincat vos, & pedibus suis conculcet vos, & ea vindicta feriat, quæ futuris seculis demonstret, quid regia manus valeat. Saltem vos, ô Episcopi, videte ne pereatis de via iusta, videte ne transgressores fidei promissæ fiatis: alioqui quid consequatur vos ipsi nostis. Igitur rex ab Apostolico digressus, benedictione pro maledictione accepta, Rudolfum Ducem super se regem creatum inuenit. Qui audita regressionis eius fama, antè paratus ad fugam quād ad pugnam, antè pulsus quād victus, in Saxoniam fugit. Facile est regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum sit, virum in rebus bellicis exercitatum & strenuum tunc fugisse: Quia sæpe iustior & viætrix causa fortis in metum mittit & in fugam. O avaritiam, pestem pessimam, quæ bonos mores transuertit, & sæpe ipsas virtutes ad vitia trahit. Iste Rudolfus Dux eximius, vir magnæ authoritatis & laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique spectatus in omni genere virtutum: Iste, inquam, avaritia, quæ vincit omnia, viætus, & supplantator domini sui factus, fidem incerto postposuit honori. Fuere tum qui dicerent, ab Apostolico eum immisum, nec unquam tantæ virtutis virum magis avaritiæ quād consilio cessisse. Et hoc in argumentum sumebant, quod Apostolicus tacuit, dum post absolutionem regis Rudolfus regnum inuasit: iuxta illud Comici: Qui tacet, satis laudat. Itaque rex cedente Rudolfo, cuius caput, si deprehensus esset, vindex gladius dignè rotaret, Bauarium, Sueuiamque inuasit, & coniurationis aduersum se socios vastauit, munitiones eorum fregit. Nec tamen, pro iniuriæ suæ materia se vindicabat, sed sciens in vltione freno vti, longè infra metam culpæ cohíbebat habendas vindictæ. Sed Rudolfus ut dedecus fugæ virtutis facto recompensaret, Wirtziburgensem ciuitatem obsedit, vbi tamen fraude magis quād virtute pugnatum est. Nam cùm rex ad propellendum hostem exercitum conuocasset, instructa amborum partium acie, & primis inter se prælia miscentibus, quidam equites regiæ partis mercede conduti, qui se regis lateri quasi fidi clientes applicuerant, subito in ipsum arma verterunt: Sed ære munito corpori liuorem, non vulnus inflixerunt. Heu miserrimi, quibus precium & sceleris causa fuit & necis, quos uno in loco & crimen inuoluit & vindicta. Nam eos tot vindices dextræ in frusta concidebant, vt in eis humani cadaveris figura periret. Fit tumultus, exoritur clamor, spargitur rumor, regem interfectum: Quo rumore perterritus exercitus fu-

Rudolfus
Henrici a-
mulus.

Frangit
atrollit Si-
res in mil-
te causa,
Quenisi im-
pia subest,
excudit ar-
mapudor.

Ради милос-
тії братів христі.

Henrici &
Rudolfi bel-
lum cunile.

Præstū Wir-
zburgense.

Auri sacra
fames quid
non morta-
lia cogit Pe-
ctoral

git, hostis insequitur. Et quoniam in equis equitum salus, solis peditibus miserabile fatum incubuit. Ideoque victoria quanto maior, tanto minoris tituli fuit. Sic hostis vrbe capta, imposito-que præsidio, in Saxoniam regressus est. Quid improbe tibi pro- fuit, vel indiscreta cædes fugientis vulgi, vel fortuna captæ vrbis,

*Wirtzebur
gum ab ho-
ste recupe-
ratnr.*

*Bella Hen-
reci in Sa-
xoniam.*

*Rudolfus
periur' dex-
tram ex ve-
ra amittit.*

*Hermannus
Rudolfo sur-
rogatus.*

Nam abscissa Rudolfi dextera dignissimam periurij vindictam de- monstrauit, qui fidem domino suo regi iuratam violare non timuit: & tanquam alia vulnera non sufficerent, ad mortem accessit etiam huius incibri pœna, ut per pœnam agnosceretur & culpa. Sed & aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet quod tam

victor, quam victus exercitus: Nimirum hoc ordinante desuper diuina clementia, ut post ruinam capitis ex alterna fuga tolleretur nefas alternæ cædis. Sed gens dura nec damno monita est, nec si-

gno, quin potius ut obstinatione vinceret, quod manu non poterat, Hermannum nouum sibi regem constituit, qui & ipse novo modo periiit. Nam cum Saxones eum de terra sua proturbarent,

quicquid illud fuerit, quod eis in illo displicuit, retuersus in patriam suam, portans inane nomen regis, ad Hermannum Tre- uirenssem Episcopum se contulit, quem etiam ad ausum senti- endi contra regem inexpugnabilis munitionum firmitas impul- lerat. Quanta potentia regis, qui alendus fuerat non ex suis,

sed ex opibus alienis? Quadam die cum iter ageret, incidit animo suo iocus ille, ut ad castellum, quo ituri erant, sub specie ho- stium ruerent, & quæ audacia, quæ virtus animis defendantium inesset, tentarent. Quam mirabilem viam, quam inopinam sa- pe inuenit, quod futurum est ut fiat? Cumque portam absque claustris & absque custode repertam irrumperent, aliis qui intus e-

*Eiusdē mi-
serabilis in-
teritus.*

rant raptis armis viriliter contrâ procurrentibus, aliis latebras ener-

uiter quæritantibus, fœmina sexu, fœmina non animo, quæ in

turrim euaserat, molarem in caput regis demisit: Et sic ille ma-

nus fœminea, ut mors eius turpior esset, occubuit. Sed ut hoc

dedecus dealbarent, fœminæ factum in virilem personam ex com-

posito transtulerunt. Post hanc regum fortunam in creatione re-

gum diu hæsitatum est, & casus præteriti metus erat futuri. Vicit tan-

dem cu-

dem cupiditas, & Ecberum Marchionem ad ambitum regni fortius manu impulit, qui tamen in morte serò didicit, quòd alter ex alius damnis instrui possit. Vrbs erat in Saxonia, quæ quia fortunam regis prospero ire cursu videbat, in partes eius se conuerterat, præsumens fiduciam & ex locis sui firmitate & ex regia subuentione. Quod indignè ferentes Saxonum proceres, vrbem obsidione vallabant. Marchio verò Ecbertus, qui spe potiundi regni intumuerat, vt se accommodaret ad id, quod affectabat, maiori super omnes robore ad obsidionem illam ibat, præmissaque multitudine cum paucis ipse sequebatur. Quem deuiantem à publica via, ne fortè incideret in hostes (quis enim tam potens qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat?) latens semita per quoddam arbustum duxit. Quàm occulta iudicia tua D E V S, quàm miro ordine & abscondis quæ facturus es, & aperis quod abscondisti! Iam meridianus ardor solis e-
quos equorumque sessores vrebant, & vt fit, sitim æstus accendebat. Præterea tam grauis sopor fessis obrepshit, vt colla somno languida penderent, & equi frenis non fessi liberam viam carperent. Haud procul in recessu saltus solitarium molandinum conspexere, quòd diuertentes sopori se dedere, misso interim molandinario, qui de villa potum sipientibus afferret. Qui dum imposito scapulis suis utre festinaret, aliquos scutatos ad prædictam obsidionem tendentes obuios habuit, qui erant occultè fideles regis, licet aduersæ partis. A quibus interrogatus unde prodiret, quòd tenderet, cur tam anhelus properaret, nesciens cælare, quod sciebat, hospitem suum & causam itineris indicauit. Qui stupefacti, seu metu, seu potius gaudio, versantes inter se quid agerent, quid periculi, quidque præmij, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem regis ferirent: occasionem illam non frustra sibi oblatam: maximam virtutē per maxima discrimina probari: incitatis alternatim animis, immisli equis ad molandinum properabant. Sed peruenierunt antè votis quàm equis. Incepta est pugna, quæ diu dura fuit & dubia, quia virtute pares & numero congressi, hi pro laude, illi pro vita pugnabant. Regis tamen fortuna vicit, & hostis ferocissimus non in acie sed in molendino peremptus turpiter iacuit. Felix nimium es, & multi semper nominis mola, ad quam trahit homines non tam tuum volubile officium, quàm fama, quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille conuentus Procerum confusus, procinctum soluit, sic ab obsidione infecto negotio recessit. Itaque res regis in altiore & feliciorem statum se quotidie promouebant: aduersariorum autem eius deorsum vergebant, & omne eorum incepit in turpem exitum desinebat. Cùm ergo cernerent nullum se habere successum, nec in armis, nec in electione regum; iterum se conuiciis armauerunt, & eum apud Apostolicum præter alia multa

Ecber. Marchionis ambitus.

Nex in molendino.

Henricus ab amulorum occasione regum Papa accusatur.

& nefanda criminatis sunt, quod reges christianissimos, quos ipsi non sine autoritate Apostolici creassent, ille ob crimen suum extorris à regno factus, occidisset, regnum sanguine usurpasset, igne, præda, ferro cuncta vastasset, & tyrannidem suam aduersus Ecclesiam & regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminacionem Apostolicus eum iterum banno, ut ipsi iactabant, illigauit. Sed non magni ponderis ille bannus habebatur, eo quod non rationis sed arbitrij, non amoris sed odij esse videretur. Cernens autem rex Apostolicum ad hoc tendere, ut se regno priuaret, nec alia sua obœdientia contentum, nisi ut regno renuntiaret, ex obœdientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa obsecro, Rex gloriose, cessa ab hoc molimine, ut Ecclesiasticum caput de suo culmine deiicias, & in reddenda iniuria te reum facias. Iniuriam pati felicitatis est, reddere criminis. Quarebat itaque rex causas & occasiones qualiter eum eiiceret, inuentumque est eum Rom. sedem olim abiuratam insedisse: quam idcirco abiurauerit, quia ad eam dum archidiaconus esset, adhuc viuente domino suo per ambitionem aspirare voluerit. Vtrum hæc vera sint an falsa, parum comperi: alij asserebant, alij figmentum esse dicebant: vtrisque Roma fuit in argumentum: his, quod Roma mundi domina nunquam pateretur tale nefas: illis, quod ea cupiditatis ancilla facile permitteret ob premium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cum incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igitur cum exercitu Romam pergebat, proterens in via quicquid obstabat, oppida fregit, tumida pressit, ardua curuauit, factiones dissipauit, in cuius aduentu Roma persuasa, quæ debuerat honores, arma, tanquam Pœnus Hannibal Alpes transcendisset, parabat, & regis suo velut hosti portas præcludebat. Vnde rex iusta commotus indignatione, urbem obsidione (qua res postulabat) occlusit, & qui si bi aditum, illis exitum negauit. Missi circumquaque qui castella frangerent, villas euerterent, bona diriperent: prouinciarumque nocuit foris, quod Roma se clauserat intus. Foris bella, intus metus erat, vndique machinæ surgebant: hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Contrà qui in urbe erant, tela, saxa, præustas ludes, ignemque iactabant, interdum egressi, comminus committebant, vtrinque fortiter pugnatum est: hos causa, illos periculum fortes fecit. Quadam die cum exercitus vterque pugna æstuque fessus, circa meridiem sopori se dedisset, nec speculator (ut fortuna voluit) vigilaret, unus ex scutariis propius ad murum, ut pila legeret, accessit. Cumque erectis & intentis auribus explorasset, intus neminem adesse (nam murum & propugnacula vacua cernebat) adjutus & animi confidentia, & corporis

Inde iterata dura.

Talio.

*Roma cupi-
datis an-
cilla.*

*Henrici ex-
peditione in
Papam.*

*Obsidio Ro-
mae.*

*Vide histo-
riam de Vi-
perio Gros-
censi.*

poris leuitate, manibus & pedibus sursum enitebatur, donec tandem muri summitatem apprehendit. Tum verò cùm iactatis circumquaq;
oculis neminem videret, inter spem & metum positus, toto corporis motu sociis innuebat, vixq; se à clamore, cùm tardius innuentem attenderent, abstinebat. Qui raptis armis & scalis properantes, citiusque (vt aiunt) dicto murum superantes, captam urbem serò defendentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur iam rex reclusum portarum aditum, ubi & sequens à præeunte tardaretur, & præcedens à sequente premeretur: sed in ultionem temerariæ præclusionis iusfit, vt fracto muro, tam latum sibi ingressum panderent, quò totus exercitus æquato iunctoq; latere se simul immergeret. Igitur ubique mors, ubique luctus erat. Roma contremuit, dum impulsa turrium altitudo corruit. Fugit Apostolicus, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deseruit. Tandem Romanum præsumptionis suæ pœnituit, & quæ priùs meruisse poterat, vt à Rege donis honoraretur, nūc ingenti pecunia apud regem vix obtinuit, ne tota subuerteretur. Mox sedatis omnibus, Rex causam cur venisset, in publicum protulit, quod de Apostolico crimen accepisset, retulit: multis hoc ita factum confessis, Clementem Papam ad electionem omnium instituit: à quo ipse communis omnium fauore consecratus Imperator, & patricius factus, Romę se per aliquod tempus, dum omnia in solidam reformaret concordiam, continuat. Nec prætereundum, quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamauit, & ipsa Roma asserit. Imperator consueuerat quoddam oratorium orationis causa frequentare, & nullum diem, quin veniret, prætermittere. Elegerat autem sibi in eodem auditorio locum orationi familiarem, ubi tanto intentius, quanto secretius orationi vacaret. Hanc eius consuetudinem dum quidam profanè mentis attenderet, seu propria seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum super trabem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublataq; de laqueari tabula, quæ caput Imperatoris recta despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, demissio fune saepe explorans, ne saxum in caddendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper obseruabat, dum Imperator staret ad ordinum in loco quo consueuerat. Tamen ille auidus alieni exitij, sed necius sui, cùm pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parum se de loco mouerat) cum pondere infelix ipse pondus illsi Imperatore cecidit. Per totam Romanum citò res innotuit, & plebs, quæ non facile sedari potest, dum mota fuerit, in uito Imperatore, semianime corpus per rupes per saxa tractum, in frusta discepserit. Tum verò cuncti rem signo non euentui assignantes, fide & animis Imperatori deuinctiores facti sunt: & inimicum consilium non solum illi fideles firmauit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: Sicq; dum nocere studuit, profuit. Denique Imperator omnibus Romæ composi-

*Roma ex-pugnatur.**Papa fugit.**Exaltatur.**Henricus im-per. & patri-otus renun-ciat.**Petitur fru-stram fiduci.**Regreditur rebus copo-sitis in Ger-maniam.*

tis, impositoque vrbi præsidio, ne ei fidem mutaret, nouæ dignitatis
 apicem gerens, in Teutonicum regnum reuersus est. Sed nulla for-
 tunalonga est. Nam hi, quos Imperator Romæ præsidio imposue-
Praesidiū Ro-
manū inter-
necio, inde-
que nosī
mōs.
 rat, ægritudine correpti, quam & locus & tempus intulerat (erat e-
 nim ætas) ne vno quidem superstite mortui sunt. Tunc Roma iugo
 præsidij sublato, compos arbitrij sui facta ad ingenium rediit, & re-
 sumptis aduersus Imperatorem armis, pulso Apostolico alium con-
 stituit. Nam ille prior Gregorius à vita discesserat. Quod vbi Impe-
 ratori compertum esset, iterum aduersus Romam exercitum promo-
 uit. Sed in Italiam veniens, cùm legati à Roma pactum pacis ferentes
Conradus
Henricus F.
Mathildis.
 occurrerent, & cùm inimici moliminis fama sequeretur, relicto in I-
 talia filio Conrado, iam tum regni sui hærede designato, regressus est,
 scilicet qui se grassanti Mathildi, & pæne totam Italiā sibi vendi-
 canti, opponeret, & regnum, quod futurum erat suum, de manu fœ-
 minæ tolleret. Quid facient inimici, cùm insurgant in parentes ipsi
Exclamatio
in liberorū
impictarē.
Conradiro-
bellio.
Affectio.
Henricus al-
ter Hēricus F.
 filij? vnde securitatem sibi quis promittat, cùm nec ab eo tutus sit,
 quem genuit? Cessent iam connubia: nemo sibi optet hæredem: hæ-
 res tuus erit hostis tuus. Nam non solùm te domo tua prædiisq; spo-
 liat, sed & vita spoliare festinat. Filius Imperatoris, quem in Italia reli-
 ctum à patre, & quam ob causam relictum diximus, à Mathilde per-
 suasus, (quem enim astutia fœminea non subuertat, aut decipiatur?) iun-
 & tus inimicis patris, coronam sibi imposuit, regnum inuasit, profana-
 uit ius, & ordinem confudit, impugnauit naturam, quærebat patris
 sanguinem: Quia non nisi sanguine patris regnare potuisset. Quod
 vbi ad hostes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaude-
 bant, cantabant, laudabant factum filij, præcipue fœminam ducem
 facti. Mittebant properè legatos, qui stimulum animo noui regis ad-
 iicerent, & adderent oleum camino, qui per se, sed contra se fidem &
 opem perpetuam iurarent. Quanquam dudum se tam filio quām pa-
 tri nunquā obtemperaturos coniurassent. Imperator autem ad hanc
 famam tametsi intus doluit, in grauitate tamen sua se foris tenuit: &
 non suam sed filij fortunam conquestus est. Cùm autem eum ab in-
 cepto reuocare non posset, non tam suam iniuriam, quām exemplum
 iniuriæ per vltionem tollere quærrens, filium exhæredare, & fratrem
 eius Henricum adhuc puerum in regnum promouere cogitabat. Igi-
 tur multis procerum conuentibus habitis, Imperator super filio suo
 Conrado cōquestus est: Quia additus hostibus, regnum inuasisset, &
 quòd patrem nō solùm regno sed & vita priuare conaretur: Iniuriam
 suam publicam esse debere, vel si nullum ea moueret, saltem hoc Rei-
 pub. causa præstarent, vt per vim neminem & scelus regnare pateren-
 tur: Transferrent potius electionem in minorem filium suum, quam
 iure maior amisisset. Plæriq; contrà nitebantur, magis vtentes inge-
 nio quām iusto & vero. Multi autem publico bono fauentes, senten-
 tiæ votoque Imperatoris concordabant. Tandem omnibus in vnam
 sententiam

sententiam coëuntibus, & concordi fauore approbantibus, Imperator minorem filium, inuasore prius ex decreto curiæ diiudicato, hære-
 dem regni sui constituit: à quo, ne & ipse abiret in viam fratris sui, ius-
 iurandum accepit, videlicet ne vnquam se vel de regno, vel de prædiis
 patris eo viuente (nisi forte ex consensu ipsius) intromitteret. Iam tum
 murmur & metus erat, inter duos fratres intestina bella fore, magnâq;
 regni cladem futuram. Sed qui omnia dispensat, hunc metum letho
 maioris filij sustulit, & vt regnum in vnam concordiam redire posset,
 occasionem dedit. Quibus ita transactis, hostes Imperatoris detrun-
 cato toties capite nō habentes cui adhærerent, pactione subacti, quod
 optimum erat, in pacem bella, in domesticam securitatem castra con-
 uerterunt. Igitur vt vbique pax & tranquillitas esset, conuocatis ad
 curiam primatibus, pacem per totum regnum sub iuramento firmari
 fecit. Et ad inhibenda mala quæ fiebant, grauem pœnam in trans-
 gressores decreuit. Quod quidem pacis decretum quantum miseris
 & bonis profuit, tantum peruersis & potentibus nocuit: Illis copi-
 am, istis egestatem & famei intulit. Nam qui in milites bona sua dis-
 traxerant, vt multo milite stipati procederent, & aliis armorum copia
 longè præstarent, hi dum sibi licentia rapinarum erepta est (quod pa-
 ce illorum dictum sit) egestate laborabant, cellaria eorum penuria &
 famæ possidebat. Qui nuper spumeo ferebatur equo, contentus es-
 se cœpit vel rusticò iumento. Qui nuper non aliam vestem quære-
 bat, nisi quæ rubeo murice tincta arderet, bene secum actum aiebat,
 si nunc vestem quam natura suo colore tinxisset, haberet. Gaudebat
 aurum non se iam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cog-
 ret vti. Denique quicquid vanitatis quicquid superfluitatis corru-
 ptimores intulerant, totum penuria magistra resecabat. Oppida in
 ripis posita, quibus præda nauium victum præbebat, nauta securus,
 esuriente oppiduli præside, præteribat. Mira res, nec minus ridicu-
 la. Alij iniurias suas iniuriis vindicant, Imperator suas pace vindica-
 bat. Cùm autem domini cum satellitibus suis per aliquot annos hac
 lege stringerentur anxij, quòd non liceret eis vti libertate peruersita-
 tis suæ, iterum aduersus Imperatorem murmur mouebant, iterum su-
 per eius factis sinistrum rumorem seminabant. Quid illud (togo)
 est, quod admisit? Nempe hoc erat, quòd scelera prohibebat, quòd
 pacem & iusticiam reuocabat, quòd iam latro viam non obseedit,
 quòd sylua suas insidias non occultauit, quòd nautis mercatoribüs-
 que liberum erat suam ire viam, quòd vetitis rapinis raptor esurie-
 bat. Cur, obsecro, vobis non aliunde nisi ex rapto viuere placet? Red-
 dite agris, quos ex agro depulisti armis: coæquate numerum satelli-
 tum ad mensuram facultatum, recolligate prædia vestra, quæ stul-
 tesparsistis, vt multis armatos haberetis, & redundabunt omnibus
 bonis horrea & cellaria vestra: Nec erit amplius necesse aliena tol-
 lere, cùm quilibet ex proprio possit abundare. Sic fit, vt nec Impera-

Surrogatus
 Conrado
 exheredit.

Pax à Com-
 rads morte
 editio san-
 cta.

Eadem bet.
 Laborib⁹ in-
 commoda.

Apologia
 pro Imp.

tor crimine denotetur, nec bellum in regno moueatur. Sic fit, vt &
 corporisatisfacere habeatis, & animas vestras (quod fœlicissimum est)
 saluetis. Sed nihil ago, asinum ad lyram voco: Consuetudo mala aut
<sup>Auctores no
nus sumuli.</sup>
 nunquam aut vix tollitur. Igitur assueti rapinis, vt occasionem repe-
 tendæ consuetudinis inuenirent, mouendis iterum bellis animum in-
 tendebant, iterum æmulum Imperatoris reperire quærebant. Ad quam
^{Henricus F.}
 rem filium eius maximè idoneum existimabant. Itaque vt suggestio-
 ni locum inuenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequen-
 ter eum venatum secum abducebant, conuiuiorum illecebris inescapa-
<sup>Elymata
corruptela.</sup>
 bant, iocis in dissolutionem animi mulcebant, & ad pleraque facien-
 da, quæ adolescentia suadet, secum trahebant. Deniq; vt fit inter ado-
 lescentes, quodam sodalitatis glutino vineti sunt, vt etiam fidem dex-
 tramque mutuis sacramentis darent. Cùm ergo eum multis dolis irre-
 titum decipi posse considerarent, quodam die inter alia tanquam ex
^{O flagitiis.}
 obliquo patrem eius in mentionem adducebant: se mirari, quod tam
 durum patrem pati posset: nihil eum à seruo differre, cùm omnia quæ
 serui sunt, toleraret; patrem eius senem esse, & moderandis regni ha-
 benis inualidum: Si inuestituram regni usque ad obitum eius differ-
 ret, haud dubium quin alter illud sibi præriperet: illum multos fauto-
 res habiturum propter inuidiam & odium patris sui: se autem omnium
 vota in se transferre, si non cunctaretur suscepti regni gubernacula
 possidere, maximè cùm patrem eius excommunicatum & Ecclesia
 dudum reiecerit, & proceres regni reprobauerint. Nec sibi obseruan-
 dum, quod incautè iurauerit, imò tum demum se sanctificasse, si iura-
 mentum excommunicato iuratum irritum faceret. Pater verò de fi-
 lio nihil mali suspicatus, familiaritatē eius cum maioribus regni pro-
 bauit, speras eos sibi postmodum tanto fidelius & validius auxilium
 ad obtinendum regnum laturos, quanto prius inuicem in amore ma-
 gis coaliuerint. Quid multa? statim illectus & abstractus à concipi-
 centia, malignæ suggestioni (vt semper seductilis est adolescentia)
 nec voto defuit nec facto. Igitur filius Imperatoris obseruans tempus
 recedendi à patre, quando id maximo patris incommode fieret, eun-
<sup>Henrici F.
fuga & de-
fessio.</sup>
 tem illum cum exercitu contra quosdam Saxonum rebelles, qui per
 legatos obuiam Imperatori missos pactioni insistebant, repente abs-
 tractis ab eo multis, deseruit, procul dubio deserendus ab iis, qui sibi,
 vt desertor fieret, persuaserunt. Missis Imperator post eum legatis,
 tam lacrymis quam mandatis reuocauit, obtestans eum, ne senem pa-
 trem contristaret: imò ne patrem omnium offenderet, ne se sputis ho-
 minum exponeret, ne se fabulam mundo faceret. Insuper memini-
 set, qua se sibi cautione obligasset: hostes esse non amicos, insidiatores
 non consultores, qui sibi talia suggessissent. Ille prorsus abnuit, & se
 non ulterius secum partem habiturum, quia excommunicatus esset,
<sup>Religio sce-
leris præ-
sum.</sup>
 afferuit. Ita sub specie causæ DEI suam causam egit. Illico Bauarium,
 Sueuiam, Saxoniam percurrit, proceres conuenit, attraxit omnes (vt

sunt ingenia nouarum rerum cupida) & subintravit in regiam potestatem, tanquam sepeliisset patrem. Mox castellum Norinberch minax obsedit, vbi quanta virtute pugnatum sit, clades vtriusque partis argumento fuit. Sed obfessis quanto minus spei, tanto plus animi intereat: & nisi Imperator sceleri parcens, castellum tradere præcepisset, adhuc ibi cassa obsidione laboraret, excepto si sola fames, quæ cuncta expugnat, illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris! Redidit contra filij factum paternitatis affectum: non attendit iniuriam sed naturam: maluit oppidum tradi, quam filij discrimine libertari: maluit eius iniurias tolerare, quam vindicare. Igitur oppidani oblata qualem vellent pactione, oppidum tradiderunt: dimissaque exercitu, rex Ratisbonam se contulit, ut eam, dum adhuc ancipiti penderet animo, stabilem sibi fixaque fide immobilem faceret. Quod vbi comperit Imperator (sedit enim tunc in vrbe Wirtziburgensi) reputans filium vel in itinere vel in vrbe comprehendendi posse, tam præcipiti tamque tacito cursu vestigia eius sequebatur, ut iter eius non ante, donec modica turba suorum, transito Danubio, ad urbem immisis equis ruerent, præsciretur. Obstupefactus filius ad tam subitam & inopinatam rem, ex vrbe profugit. Cur fugis non fugiendum? cur fugis patrem tuum? sequitur te, non persequitur: sequitur, inquam, non vt hostis, sed vt pater: non vt perdat, sed vt seruet: sequitur vt turbatam ex te Rempublicam in quietum statum restituat, & tuis rebus in futurum prospiciat. Missillico rex nunciis per Bauariam & Sueviam, sparsum exercitum recolligit: Quæ res Imperatorem coëgit, ut & ipse exercitum cogeret. Igitur exercitus vterque ad fluuium, cui Regino nomen, se sibi opposuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor consedit. Cumque potentiores vtriusque partis, tanquam tanti dissidiij mediatores conuenirent, qui ex parte Imperatoris erant, persuasibilibus ille eti verbis, & multis magnisque pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant: & nisi domesticam fraudem præfensusset, solus cum paucis periculo relictus esset. Igitur quod faciendum fuit, sceleri fortunæque cedendum putauit, & ad similitudinem Dauid, ne filius parricida fieret, fugit. Quam mirabiliter gratia D E I operatur: quam euidenti signo nos docet, si doceri vellemus, si cæcum cor non haberemus? Cogitans Imperator, quod inimici sui via, qua venerat, persequerentur eum, ad Ducem Bohemiæ diuertit, qui quamuis nuper eum in arcto non bene reliquisset, cum magno tamen honore suscepit, & usq; in Saxoniam deduxit: vbi quamuis infestos & fortes inimicos haberet, per eos tamen, & ab eis usque ad Rhenum honorificè deductus est. Vnde hoc? nisi quod manus Domini erat cum eo, & inuisibilē ducem habebat, qui eum securū per tela, per hostes ducebatur? Hoc miraculo monitus es, ô fili Imperatoris, si mo-

*Norinber-**gæ.**sopn pæ-**terna.**Ratisbonæ.**Henrici P.*
fuga belli-
cq; appara-
*tus.**Regino flue-*
*ties.**Henrici pa-*
tris ob suo-
rurum defe-
*ctiones fuga.**Dux Boie-*
*mæ.**Benignitas*
in hoste.

HISTORIA DE VITA

neri posses, ut disceres venerari patrem tuum, non persequi, quem ve-

*Conuentus
Imperij Mo-
gunt.*

nerati sunt, cum in manus eorum venisset, etiam inimici. Sed durius moneberis, cum ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Cum autem Imperatoris fuga cognita esset, euentus ille multos ab eo sedu-

xit, multumq; rebus filij sui accedere, suis autem decidere fecit. Con-

*Fraudulen-
tam machi-
natio.*

tinuo rex ut fauentem sibi fortunam vrgeret, curiam Moguntinam ad natalem Domini indixit, inuitauit proceres, accersiuit multos, ut cunctis innotesceret, quia dominus rerū esse vellet. Ad quam curiam etiam Imperator, conuocatis necessariis suis, venire disposuit, volens in ratione ponere, recte ne secum an secus actum esset. Quod cum a-

*Henrici F.
simularum
obsequium.*

gnouissent aduersarij eius, metuentes sibi & causæ suæ, si veniret ille, tā armatus multitudine, quam ratione, hanc fraudē regi suggerebant, ut obuius patris sumpto valde pœnitentis vultu culpā fateretur, & gratiam expeteret: dolere se, quod malignæ suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dum gratiam inueniret. Et si sic occasionem fraudis inuenire posset, vteretur illa: Sin autem, fraus ipsa

Dolus.

pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hac instructus arte cum venisset ad patrem, pater credulus verbis & lachrymis filij, irruit super collum eius, flens & deosculans eum, gauisus instar illius Euangelici patris, reuixisse filium, qui mortuus erat, & inuentum, qui perierat. Quid multa? cōdonauit filio tam pœnam quam culpam: & hoc fuit illi iniuriam filij vindicasse, paterna lenitate filium corripiuisse, iuxta illud Comici: Pro magno peccato filij, paululum supplicij satis est patri. Post hæc patrem sicut ficta pœnitudine, sic & consilio fefellit, suggerens ei, quemadmodum sibi suggestū fuerat, ut dimissa tanta multitudine, ad curiam ambo mediocri copia venirent: nihil esse, cum ipsi coiissent in concordiam, quod illi resisteret: vastari omnia, si pergerent ea copia. Placuit consilium patri: bonum quidem, si fraudulentum non fuisset. Dimissaq; multitudine, non plus quam trecentis viris ad curiā filio comite pergebat. Ventū est ad nocturnā mansionē: ibi se filius obsequio patris totū impendebat, ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, auidus recompensare damnum oblectionis diu intermissæ: sed nescius illam oblectionis noctem ultimam esse. Mirum, fraudem vimq; tam ordinatam fortunam habuisse. Postera namq; die cum appropinquarent Moguntiæ, venit nuncius subornatus qui diceret, Bauaros & Sueuos cum ingenti multitudine Moguntiam venisse. Tunc filius suggesserit Imperatori, non esse tutum venire in medios hostes, nisi prætentatis eorum animis: audaciam hominum nullis regi frenis: diuerteret potius ad castellum, quod iuxta erat, dum ipse conueniret eos, & à sententia incœpti deduceret, & ad eum ob requirendam eius gratiam, secum adduceret. Fe- cit Imperator vti filius suggesserat, diuertit ad castellum, non cernens laqueum doli, quem texerat pulchra species mendacis fidei. Cum au-

*διχαλέντοις
ταύτα μό-
δις πρεσβυ-
τεροι, ταῦτα
καὶ καὶ μὴ
διγνηστεῖσθαι.*

tem Imperator cum paucis intrasset, occlusa porta, fidelibus eius adi-
tus negabatur, detectaque fraude, qui receptus est ut Dominus, tentus
est ibi ut captiuus. Itaque appositis patri custodibus, cum hoc fraudis
triumpho ad Moguntinam curiam reuersus filius, tanquam rem vir-
tutis egisset, cum magna iactantia retulit, quo ingenio patrem com-
prehendisset. Tum vero curia plausu læticiaque resonabat: & nefas
iusticie fraudem virtuti ascribebant. Statim missò legato, patri man-
dauit, ut si vitam seruare vellet, absque mora sibi crucem, coronam &
lanceam, cæteraque regalia transmitteret: & munitiones, quas firmis-
simas tenebat, in manum eius transferret. Nec ille cunctabatur o-
mnia quæ iussus est facere, nec imperium pluris habebat quam se. Sed
non in hoc satis fecisse videbatur, nisi & ipse coram veniret, & in con-
spectu omnium imperio renunciaret. Venit ergo non suæ potesta-
tis, sed in comprehensione adductus: Solus coram eis, qui dudum
coram se steterant, stetit: nec orationis libertatem habens, ut captiui
fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea Imperij re-
nunciatione, non quod voluntas habuit, sed quod necessitas coëgit,
respondit: se videlicet Imperio renunciare, non vi coactum sed pro-
pria voluntate inductum, sibi iam defecisse vires ad moderandas re-
gni habenas, non se eius iam cupiditate teneri, quod longo vsu didi-
cisset, habere plus molestiæ quam gloriæ: tempus esse, ut honore cum
onere deposito, prouideret animæ suæ: tantum filius caueret, ne quid
tale faceret in se, quod indignum esset, & illum facere & se pati. Mul-
tos & oratio Imperatoris & fortuna ad gemitus & lachrymas cōmo-
vit: filium autem ad miserationem nec ipsa natura mouere potuit. Et
cum caderet ad pedes filij, orans, ut recogitaret in se saltem ius natu-
ræ, nec vultum nec animum ad patrem reflexit: Cum ipse potius ad
patris pedes aduolui debuisse, eo quod illi regnum (cuius hæres ab
ipso designatus fuerat) impatiens moræ, præripuisset. Præterea veni-
am precabatur ab omnibus, quos unquam iniuste læsisset: Sed & pe-
dibus Apostolici legati aduoluitur, orans & obsecrans, ut se à banno
solueret, & communioni Ecclesiæ redderet. Laici misericordia moti,
veniam dabant: Legatus autem domini Apostolici absolutionem ne-
gabat, asserens non hoc suæ potestatis esse: oportere ab ipso Aposto-
lico absolutionis gratiam eum expectare. Quid multa? abrenunciata
Imperiali dignitate priuatus discessit, & ad quādam ciuitatem, quam
filius victui illius permiserat, recessit. Quam impotens potentia
mundi, quam instabilis! Sed nec potentia dicenda est, quam ad o-
mnia quæ vult efficax non est, & quam qui assequitur, amittere po-
test. His ita transactis, finitaque curia, rex superiores Rheni regio-
nes & vrbes pertransiit, & ut res postulabat, hos beneficio, illos in-
iuria sibi subiecit. Cum autem intrasset Alsatiam, ibi fortuna eius ali-
quantulum hæsit, ibi pugnam tam infelici euentu, quam impruden-

*Henric. pa-
ter ex Imp.
captiuus.*

*Spoliatur
in signibus
& fortunis.*

*Aldicat se
imperio.*

*O ἀσφυξία
& ferreum
filii peccati.*

*Legatus Pa-
pa durior
Lasci.*

*Exclama-
tio.*

*Henrici P.
imperium.*

Clades &
 fuga è sed-
 tione Ru-
 fachana.
 ti gessit incepto. Nam cùm in villa Rufach, quæ multitudine præua-
 let & armis, satellites eius superbè grassarentur, frequentia ciuium in-
 iuriam prohibebat: nec enim dum iniuria modum excederet, patiens
 esse poterat. Audito tumultu, rex properabat, non vt iniuriam prohi-
 beret, sed iuuaret, non vt pugnam sedaret, sed amplius commoueret.
 Quæ res totius villæ turbam exciuit: ruit irreuocabile vulgus, fœmi-
 na cum viro, seruus cum domino, ignauus cum forti: & vt plærunque
 fit, animum iniuria ministrauit. Incepit pugna, incepit est fuga: Nam
 qui regiæ partis erant, cùm viderent impetum furentis turbæ, & rem
 in arcto sita, considerantes in virtute sua cladem, in sola fuga salutem,
 qui poterant fuga vitam seruabant. O infelicem euentum, ô dedecus
 regni: fugiente rege, regalia insignia vulgi præda facta sunt. Resipisce
 tandem rex bone, resipisce, & supernam iram in hac sorte tua reco-
 gnosce. Iudicium iræ D E I est, vt fugeres, qui patrem fugasti: & insi-
 gnia perderes, quæ patri abstulisti. Sed his postea receptis, interuenien-
 te pacto pacis & gratia veniæ, regem sententiam mutare fecit altum
 vulnus iniuriæ, vt maiori robore collecto, villam incendio prædáque
 vastaret, & in homines loci illius indiscreta cæde sœuiret. Sed quod
 in se fortuna tantum ausa est, ex patris consilio prodisse suspicatus, no-
 uas iniuriarum cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne sibi esset ob-
 staculi materia, vel ad comprehensionem eius, vel ad expulsionem ani-
 mum intendit. Itaque Leodij, ubi eum fidem & fortunæ suæ recepta-
 culum inuenisse audierat, Pascha sibi celebradum statuit, vt & ipsum,
 si fieri posset, comprehendenderet, & ab Episcopo, qui sui honoris æmu-
 lum receperisset, iniuriam expostularet. Cumq; pater audisset, quòd fi-
 lius Leodij Pascha celebradum statuisset, legationem ad eum in hunc
 modum direxit: Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum
 an mandatum D E I præstantius, magisq; tenendum sit, respondebis,
 nisi à vero deductus sis, similem esse iumentis, qui cœlestia terrenis, hu-
 manis diuina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi sugge-
 runt, persequere patrem tuum, quam verbum ipsius D E I, honora
 patrem tuum? Isti te decipiunt, non instruunt: Isti honori tuo non
 prouident, sed inuident: Isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt:
 non aliter peruenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per
 destructionem nostri. Fuerit sanè, vt peccatis meis exigentibus (quæ
 sententia aduersiorū meorum est) abiecerit me Deus, ne regnem: at-
 tamen tuum non erat, in abiectionem meam operam dedisse, & regnū
 quod tibi paraueram, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanū
 facinus damnant ac deuouent: ipsi pagani abhorrent, & qui Deum
 nesciunt, quid in diligendis hominibus naturæ debeant, recogno-
 scunt. Sed quid mirum, si maligna surreptio seductilem & immatu-
 ram ætatem decepit, cùm etiam senes & fixum animi statum ad ma-
 lum mala consilia nonnunquam inflectant? Fortuna mea alieni po-
 tius,

Hostilis co-
 nari adver-
 sus patrem.
 Henrici pa-
 tria ad filium
 legatio.
 Candor.

tius, quām tui sceleris est: Nam tu in manibus suadentium eras, non ille in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excusari poteris, cūm & factam crimen esse scias, & infectam nō facere queas. Audiui enim, quod Pascha Leodij celebrandum decreueris: Quo in loco fides & pietas Episcopi me recepit, cūm non esset, qui vel beneficiorum nostrorum recordaretur, vel fortunæ compateretur: cuius profectò beneficiis in me te decet regia liberalitate respondere: tantoq; certior de eius fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic, nisi te fortè domo receperit, me secum in festiuitate paschali retinendum decreuit. At dicas, dignum & conueniens esse, vt ea festiuitas nos iungat, potius quām diuidat: te velle, te cupere, vt ibi tecum agam dies paschalis lāticiæ: quod quidem & ego admodū cuperem, si non esset, quod timerem. Neque enim non possum non timere eos, quos mihi vitam permisisse, pœnitet, dum in manibus eorum mors & vita fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timenda sunt, maximè in turba, vbi tanto difficilior est periculi cautio, quanto maior sceleris occasio. Inde est, quod ex medio eorum, qui me oderunt, longè recefisi, & in extremis regni tui finibus me contraxi: vt vel secessu loci tuus sim, vel si fortuna mea postulauerit extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere possim. Precor ergo vt causa patris tui paschalem curiam alibi disponas, & in domo eius, qui me humanitatis gratia recepit, cūm non liceat Imperatorem, saltem hospitem esse sinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobrium narretur, quod in solennitate dominicæ resurrectionis incerta hospitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris quod postulo, maximas grates habeo: Sin autem, malo villicus esse in externis regnis, quām ludibrio haberet in regnis quondam meis. Hanc legationem patris aure surda audiuit filius, nec à sententia sua deduci potuit. Quamobrem cūm iam instantे pascha pater recedere vellet, Episcopus & Henricus Dux (qui & ipse ab Episcopo fuerat inuitatus) eum recedere prohibebat: Non se posse pati, vt in tāta festiuitate ē tectis hominum sylvas peteret latebrasque ferarum: Illum quidem absque causa destitutum Imperio, sed non amicorum obsequio: si pace frui permitterentur, nihil se magis quām pacem velle: sin autem res armis agenda sit, arma sibi non defore. Ille verò ne eis materia clavis esset, cedere quām manere utilius afferens, tandem eis cūm importunius instarent, consensit, & vt postulabant mansit. Iamque multus equitatus faciem regis longè præcedens ad pontem fluuij, qui vocatur Mosa, venerat, & alterius ripæ crepidinem filius prædicti ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longè per opportuna loca in insidiis locauerat. Qui vt pugnam prouocaret, nunc equum in rectam cursus linéam immisit, nunc in orbes flexit & reflexit, & si pares numero configere secum auderent, inquisiuit. Nec mora transferunt ad eos totidem ex parte regis, mixtiique inter se vario reflexu, nunc pugnam in-

*Animus
gratus.*

*Henrici F.
impetas.*

*Leodrēsis &
Henrici Lim-
burg. f. ad*

*Henri Lim-
burg. F. ad
pugnam se
comparat.*

ferebant, nunc fugam agitabant. Interim unus & alter transito ponte
Eiusdēfratagēma.
 sociorum numerum latenter auxit, &rupto certaminis pacto, ex æ-
 quali inæqualem fecit. Quod videns filius ducis terga cum suis ver-
 tit, non tam ut fugeret, quām ut falleret: nec tam ut fugiens pericu-
 lum vitaret, quām ut sequētes in periculum deduceret. Hi autem qui
 ex aduersa ripa erant, viīa fuga, præcipiti cursu pontem transeuntes
 fugientes persequebantur, ignari futurae sortis & fraudis, quæ latebat.
 Postquam enim ventum est ad locum, vbi dispositæ fuerant insidiæ,
 exurgentes de insidiis, impetu magno in persequentes ferebantur. Il-
victoria. li autem inopino territi periculo metuque turbante, nil rationis in ar-
 mis habentes, infugam se retorserunt. Sed quid profuit auertisse pe-
 cتورا, & vulneribus terga dedisse? Itaque multi capti, multi trunca-
 ti, multi occisi sunt: victorique cruentus non alium modum sceleris
 habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem verò vbi fugax
 multitudo se coarctauerat, tanto plus sceleris impia manus peregit,
 quanto minus constipata turba se mouere potuit. Sed multo plures
 fluuius absorbuit, quām ensis hausit. Nam cùm hostis à tergo preme-
 ret, impellente metu se in fluuium præcipitabant, & attoniti confu-
 sique de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere & aliam miseri-
 am vel maximam, cùm pons multitudine prægrauatus repente cor-
 ruit, & fluuius homines equosque pariter inuoluit. Nulli locus erat e-
 uadendi: nulli profuit ingenium natandi. Nam aut armorum pon-
 dere aut inhærentium connexione fatigatus, in profundum traheba-
 tur. Quod malum ut scelestius esset, in ipsa die parasceue contigit,
 creuitque magnitudo sceleris ex reuerentia temporis. His ita trans-
Colonia. Etis, rex iter Coloniam conuertit. Sed cùm illa quoque aditum sibi
 Bonna. præclusisset, in villa, quæ dicitur Bonna, dominica tantū Paschæ per-
Henrici V. ad ordines Imperij que rimonea. acta, Moguntiam festinus rediit. Et sparsis vbiique legatis, querimo-
 niā ad proceres in hūc modum direxit: Si per inuasionem regnum
 occupassem, tamen resistentes potestati nostræ retunderem, in quan-
 tum possem. Nunc autem cùm in sumpta regni dignitate veltris pa-
 ruerim præceptis, ausus est quispiam impunè in publicam contume-
 liam regnum & nos armis vexare. Cùm enim Leodium ituri, vbi no-
 bis curia paschalis habenda fuerat, ad fluuium Mosam venissemus,
 Episcopus Leodiensis & Dux Henricus, de quorum fide & obsequijs
 deuotione multum præsumebamus, nobis latenter insidias posue-
 runt, & nostros incios & ad pugnam imparatos cædebant, capie-
 bant, fugabant: Quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet re-
 ferre quām inultum dimittere. Igitur constrictus & euentus asperi-
 tate & temporis articulo Coloniam diuerti. Quæ cùm me recipere
 satis superbè refutaret, apud villam Bonnam sanctum diem Paschæ
 vtcunque peregi. Cui vnquam regiæ personæ tanta contumelia fa-
 cta est? Nec solū me petit hæc contumelia, vos despecti estis: isti
 præsumptores decreta vestra authoritatem habere nolunt, sua tan-
 tum

tum statuta firma esse volunt: denique in quos totum regni pondus se reclinet, haberi cupiunt; regem, quem constituitis, destituere parant, vt nihil eorum que vos decernitis, ratum sit. Igitur hec iniuria mea regni potius est, quam mea. Nam vnius capit is licet summi deiectione, reparabile regni damnum est. Principum autem cœculatio, ruina regni est. An hæc impunè feremus? & ex ignobili patientia nostra magis tumebit eorū superbia? Absit, vt qui dicimur inhonorati, dicamur & insulti: pauca dixisse sat est: desides animi prolixæ cohortationis stimulo opus habet: In strenuis causa magis ad incitamentū facit quam verba. Quia igitur cōtra tam superbos hostes R.P. viribus utendū est, expeditio nō vobis & rogando præcipimus & præcipiendo rogamus, cuius collectioni tempus Calēdas Iulias, locum Wirtziburgensem vrbē p̄fini mus. Cūm ergo audisset Henricus Dux & Colonenses cum Leodien sibus, quod super se rex exercitum ducere vellet, arma parabant, copias colligebant, vrbes firmabant, & ad resistendum pari voto studioq; se accingebant. Sed & Imperatorē consiliis & precibus vrgebant, vt imperiale dignitatem, quam non ratione conuictus, sed vi ferroq; mortem intentante coactus dimisisset, resumeret, se sibi nec armis defore nec animis: multos illū in breui fautores habiturum, quia multi multum abominarētur tam insolitum facinus & inhumanum. Quorum importunitati hac ille ratione reniti cœpit: Impossibile esse amissum imperium, armis repetere, quod possessum armis retinere nequiisset: Illud sibi non esse tanti, vt multorum exitio recipiendum existimaret: Beatus sibi & tutius fore, vt priuatus, licet indignè deiectus, viueret. Sic vtrinq; data redditāq; ratione, cūm instare non desinerent, ne benignitatē circa se remoueret à se, nec ad integrū consensit, nec abnuit, prouidusq; futuri, præcipites eorū animos spe dubia suspendit. Igitur primò Coloniā, quæ primum impetum latura fuerat, vallo turribusq; muniebant, & congestis belli stipendiis, impositoq; præsidio periculū suum fortibus animis expectabant. Sic & alias vrbes, quas inuadēdas credebant, munitione, machinis & robore militum firmabant. Sed & edictum sub cōminatione crudeli vbiq; spargebant, vt aduersus exercitum in magna superbia super se venturum parati essent, & patriā, libertatem, vitamq; defendenter, nec sinerent vxores suas corruptionis ludibrio substerni, vel agros in alienos dominos distrahi. Iam rex Rhe num cum exercitu valido transierat, & primò Coloniā, quæ quasi caput inter alias vrbes eminebat, magno impetu inuasit, putans se sibi membra facilius subiicere posse, contrito tam valido capite. Sed res longè præter spem euenit. Nam cruenta repulsa retroacti, procul locatis castris vrbem obsidione vallabant. Magis autem dixerim obsesores ab obsessis obsessos. Nam præreptis sibi nauibus, quæ per Rhe num descendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quasi quadam obsidione constricti laborabant. Interim vt vrbem ab obsidione liberarent, totius patriæ robur vndique coibat. Sed Impera-

*Expeditio
inducta.*

*Apparatus
aduersariorū.*

*Henric⁹ pa-
ter inbetur
imperiu⁹ re-
petare.*

*Eius prudē-
tia & mo-
destia.*

*Colonia ope-
re munitur.*

*Obsidetur
ab Henrī-
co F.*

Henrici patris prudens consilium.

tor tam cruentum facinus detestatus, pugnā obnoxia dissuadebat: cur
eis tantus ardor pellendæ obsidionis inesset: quæ non nisi magna sui
clade pelli posset: tollerent omnem solicitudinē capienda vrbis, quæ
& ex firmitate murorum & ex forti milite tutissima, & omni victus ge-
nere esset opulentissima, accedente & Rheni beneficio, qui per naues
delicias, quas appeterent, inuito obfessore subministraret: sinerent po-
tius eos in cladem suam furere, & inexpugnabilem vrbem, vnde vul-
nera tantum cæsosq; reportarent, impugnare: sinerent eos latè vasta-
re, dum ruris copia consumpta, esurire inciperent: sinerent eos grassa-
ri, dum equos viresq; labor eneruaret: fore ut victoria sibi paruo con-
staret, si paululum toleratia & opportunitate temporis vti voluissent.
Sic Imperatoris hortatu à pugna reuocati, hostiles tantum excursus
obseruabat, & ignaros loci passim cædentes metum hosti, ne longius
euagaretur, incutiebant. Omnia verò quæ prædixerat Imperator, e-
uenerunt. Quoties enim tentabant portas infringere, ariete murum
perrumpere, tormentis turres deiicere, infecto negotio, vulnera tan-
tū & funera ad castra reportabant. Sed nec vltierius progrederi latitante
in insidiis hoste, præsumebant: homines & equi exhausti tam alimen-
torum penuria quam laboris improbitate, viribus deficiebant. Nam
agris in circuitu vastatis, nihil reperiebant. Accessit his malis etiam
morbus, quem fœtor castrorum (vt fieri solet) aere vitiato concita-
uerat, qui non solum vulgus, sed ipsos principes aut ægritudine con-
fecit, aut letho rapuit. Huiusmodi rerū aduersitate fatigati, quid factu-
ri essent, ambigebant, quia volentes mori, occasionem pugnæ non in-
ueniebant: aut si redditum pararent, certi quod hostis à tergo preme-
ret, exercitum suum fuga spargendum metuebant. Qua tempestate
mentis dum fluctuarent, subito fama veniens, nubila tantæ perturba-
Mors. tionis infernum conuertit. Retulit enim, Imperatorem mortis de-
bitum persoluisse. Ad quam famam primò hæsitabant. Sed cum
nuncius extremum munus, patris annulum videlicet & gladium,
cum mandatis filio portans venisset, tanta læticia oborta est, vt vo-
Luctus fa- nebris. ces gratulantium minimè sedari possent. Sed non minor luctus cir-
ca funus Imperatoris erat: proceres plangebant, vulgus lamenta-
batur, vbique gemitus, vbique planctus, vbique vox dolentium
audiebatur: ad exequias illas viduæ, pupilli, denique totius pa-
triæ pauperes conueniunt: deflent se orbatos patre, fundunt in
corpus lacrymas, deosculantur largas manus, vix auellebantur ab
amplexu extinti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed
nec tumulum deserebant, ibi vigiles lacrymis & orationibus vaca-
bant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quænam o-
pera misericordia fecisset in se: quanquam mors eius plangenda
non fuit, quam bona vita præcessit, qui fidem rectam, spem fir-
mam, compunctionem cordis amaram in extremis suis tenu-
it, quem nec de pudendis admissis publicam agere confessionem
puduit,

puduit, qui tota cordis auditate dominici corporis cibum sumpsit. Fœlix es Imperator Henrice, qui tales excubias, tales intercessores tibi parasti, qui nūc multipliciter auctum de manu Domini recipis, quod in manus pauperum abscondisti: turbulentum regnum pro tranquillo, defectuum pro ēterno: terrenū pro cœlesti mutasti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec hæres tuus præripiat, nec aduersarius inuidet. Ergo continendæ sunt lacrymæ, si cōtineri possunt: huic tuæ fœlicitati debetur tripodium, nō luctus; exultatio, non planctus; voces gratulantium, non dolentium. Post hunc rerum euentum hi qui cōtra regiam maiestatem bellum suscepérant, mortua spe sua animis & viribus deficiebant, & quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam regis deditio[n]e, pecunia, quoque modo quisque poterat, recurrebant.

Ecce habes de gestis, de expensis in pauperes, de fortuna, de obitu Epilogus. Imperatoris Henrici, quæ sicut non poterant absque lacrymis à me scribi, sic non poterunt absque lacrymis à te legi.

F I N I S.

EPISTOLAE ALIQVOT

HENRICI IIII. CÆS. AVG. AD PON-

TIFICEM ROME. ET ALIOS

principes.

HENRICVS DEI GRATIA REX, ANNO-

ni, Colonensi Archiepiscopo, gratiam, salu-
tem, dilectionem.

HN maximis negotiis maximis maximorum opus est consiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, ut rei, cui bene cupiunt, bene consulere & velint & possint. Quia in cuiuslibet rei profectu, nec facultas sine voluntate, nec voluntas sine facultate proderit. Quod vtrunque tu fidelissime, ut arbitramur, equaliter possides, vel ut verius dicamus, licet maximo tibi maxima nō desit facultas, maior tamen adhuc maxima facultate (si te bene nouimus, si fidem tuam diligenter notaui[mus]) in nostram & regni utilitatem exuberat voluntas. De præteritis enim fideliter exhibitis in futuris crescit spes fidelius exhibendis. Tuæ autem dilectioni committimus ne spes nostra maior sit fide tua: quia de nullius regni principum vel Episcoporū fidelitate, quam de tua, maiora speramus: Sicut hactenus non modò in præteritarum rerum exhibitione, verùm etiam in sperandarum promissione tua gaudi sumus. Adsit igitur hoc tempore opportuna tua cum facultate voluntas, quam non modò nostra, verùm & omnium Episcoporum fratrumq[ue] tuorum, imò totius oppressæ Ecclesiæ exoptat necessitas.

Rerū cōm-
*mutatio.**Locus sen-*
*tentiosus.**Captatio be-*
*nevolentia.**Adhorta-*
tio.

Non etiam hanc oppressionem ignoras, tantum vide ne oppressæ Ecclesiæ te subtrahas, sed regno & sacerdotio condoleas: Quo vtroq; sicut hucusq; Ecclesia est exaltata, ita nunc heu humiliatur viduata. Nā vnus dum vtrunq; sibi vendicauit, vtrunq; dissipauit, nec in vno profuit, qui in neutro prodeesse voluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te suspendamus, accipe quem dicimus, Hildebrandum scilicet, Monachum habitu quidem, dictum Apostolicum, non pastoris cura sed inuasoris violentia Apostolicæ sedi præsidentem, & de sede pacis catholicæ, pacis vnitæ vincula dissipantem, ut tibimet in promptu est scire. Ut enim de pluribus pauca referamus, regnum ac sacerdotium Deo nesciente sibi usurpauit, in quo piam Dei ordinationem contemnit, qui non in vno sed in duobus duo, id est, regnum & sacerdotium principaliter consistere voluit: sicut ipse Dominus Saluator in passione sua de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit. Cui cùm diceretur: Ecce Domine, duo gladij hīc: respondit, satis est: significans hac sufficiente dualitate spiritualem & carnalem gladium in Ecclesia esse gerendum, quibus omne nocuum foret amputandum, videlicet sacerdotali ad obœdientiam regis pro Deo, regali verò gladio ad expellendos Christi inimicos exterius, & ad obœdientiam sacerdotij interius, omnem hominem docens fore castigandum: Ut ita de alia in aliam charitate tenderetur: dum nec regnum sacerdotij, nec sacerdotium regnii honore priuaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica insanía confuderit, tu ipse nosti, si scire voluisti. Nam nullum eius iudicio licet esse sacerdotem, nisi qui hoc à fastu suo emendicauerit. Me quoque, quem Deus in regnum, non autem illum vocauit ad sacerdotium, quia me de Deo, & non de illo regnare velle vidit, quia ipse me regem non constituit, regno priuare studuit, minitans regnum animamque mihi tollere, quorum neutrum concessit. Hæc & iis similia cùm saepius in nostram, ut ipse nosti, contumeliam struxerit, non tamē adhuc sufficere credit, qui de die in diem noua exquisita confusionis genera nobis ingerit, ut in nostris nunciis nouiter argumentum dedit. Nam charta exponere non sufficit, qualiter eosdem nostros nuncios tractauerit, quām indignis modis afficerit, quām crudeliter eosdem incarcerauerit, & carceratos nuditate, frigore, fame, siti ac plagis contriuerit, sicque demum ad exemplum per medium ciuitatis circumductos omnibus spectaculum præbere iussit, ita ut eundem cum Decio tyranno insanire, & sanctos assare credas & dicas. Vnde ne pigeat, charissime, communis nostrum, scilicet meæ & coëpiscoporum tuorum petitioni satisfacere, ut in Pentecosten Wormatiā venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias principibus, & quid agendum sit, doceas: Rogatus per dilectionem coëpiscoporum, monitus per Ecclesiæ utilitatem, obligatus per vitæ nostræ & regni totius honorem.

Hildebrandus Monachus Psen-dopapa, au-gor turbatur.

Duo Ecclesias gladij.

Papalis arrogans.

Cesar à Deo, non Papa potestatem suam habet.

Ministris in legatis.

HENRI-

HENRICVS DEI GRATIA REX VNIVERSAE

*sanc*tæ* Rom. Eccles*ia*, Clero & populo, gratiam, salutem
& omne bonum.*

HÆc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & *Fides.*
præsenti & absenti seruatur, nec diurna eius, cui debetur, absen-
tia, nec longi temporis tædio immutatur. Et de alia epistola: Exurgi-
te in eum fidelissimi, & primus in fide, sit primus in eius damnatione.
Non autem ut sanguinem eius effundatis, dicimus: quippe cùm ma-
ior sit sibi post damnationem pœna vita quam mors. Sed ut eum, si
nolit descendere, cogatis, & alium communis omnium Episcopo-
rum & vestro consilio à vobis electum, in Apostolicam sedem recipi-
atis, qui quod iste in Ecclesia vulnerauit, curare velit & possit.

*De Hilte-
brando solle
de turbando
loquistur.*

HENRICVS NON VSVRPATIVE, SED
*pia Dei ordinatione Rex, Hiltebrando non iam Apo-
lito, sed falso Monacho.*

HANC talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui
nullum in Ecclesia ordinem prætermisisti, quem confusionis non
honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Ut
enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ Ecclesiæ,
videlicet Archiepiscopos, Episcopos vel presbyteros non modò non
tangere, sicut Christos Domini, non timuisti, quin sicut seruos, ne-
scientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti: in quo-
rum cōculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes
nihil scire, te autem solum omnia nosse iudicasti: qua vtique scientia
non ad ædificationem sed ad destructionem vt studuisti: vt iure hoc
beatum Gregorium, cuius nomē tibi vendicasti, de te credamus pro-
phetasse dicentem sic: Ex affluentia subiectorum plerunque animus
prælati extollitur: existimat se plus omnibus nosse, cùm se videt plus
omnibus posse. Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apo-
stolicæ sedis honorem conseruare studuimus. Sed tu humilitatem
nostram timori fore intellexisti: ideoque in ipsam regiam potesta-
tem, nobis à Deo concessam, exurgere non timuisti, quam à no-
bis auferre ausus es minari: quasi nos à te regnum acceperimus:
quasi in tua & non DEI manu sit regnum vel imperium. Quia D O-
M I N V S noster I E S V S C H R I S T V S nos ad regnum, te au-
tem non vocauit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendi-
sti: scilicet astutia & fraude, quodque monachica professio abo-
minatur, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro sedem pacis ad-
isti, & de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in Prælatos
armasti, dum Episcopos nostros à D E O vocatos, tu non vocatus
spernendos docuisti: dum laicis ministerium eorum super sacer-

*Causa in-
scriptionis.
Hiltebran*d*
di tyrannus
in ordinem
Ecclesiasticu-
cum.*

In Cesareum.

*Gradus ad
solum Pa-
pale.*

dotes usurpasti, ut ipsi deponant vel condemnent, qui ipsos de manu Domini per impositionem manuum Episcoporum docendos accep-
*Imperatore
a solo Deo in
discari de-
bere.*
uerant. Me quoque licet indignus inter Christianos sum ad regnum
vocatus, te teste, quem sanctorum patrum traditio soli Deo iudican-
dum docuit, nec pro aliquo crimen, nisi à fide (quod absit) exorbita-
uerim, deponendum afferuit: cùm etiam Julianum Apostatā pruden-
tia sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum com-
miserit. Ipse verò quid verus Papa beatus Petrus clamat? Deum time-
te, regem honorificate. Tu, inquam, quia Deum nō times, me consti-
tutum eius inhonoras. Vnde beatus Paulus, ubi angelo de cælo alia si-
prædicauerit non pepercit, te quoq; in terris alia docentem non exce-
pit. Ait enim: si quid vele ego vel angelus è cælo præter id, quod euan-
*Hiltebran-
dus cedere fa-
tio suffici.*
gelizauimus, vobis euangelizauerit, anathema sit. Tu igitur hoc ana-
themate, & omnium Episcoporū nostrorum iudicio damnatus, de-
scēde, vendicatam tibi sedem Apostolicā relinque, aliis in solium be-
ati Petri ascendat, qui nulla violentia religionem palliet, sed beati Pe-
tri sanam doctrinā doceat. Ego Henricus Rex Dei gratia cum omni-
bus Episcopis nostris tibi dicimus descendere, descendere.

H E N R I C V S I M P . R O M A N O

Pontifici Paschali,

*Nicolaū II.
& Alexan-
drum II. di-
cess.*
*Pontifices
Rom. rubra
bellorum.*
*Henrici filij
ingratitudo
& rebellio.*
SI illa inter nos pax esset & concordia, quę inter nostros olim & tuos
fuit antecessores, quę inter nos etiā & Nicolaum & Alexandrum,
viros catholicos & religiosos Romanos pontifices, plena charitate &
integra deuotione viguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: sed
distulimus expectantes, & recognoscere desiderantes, si in beneplaci-
to Dei sit, nobis in charitate & amicabiliter posse conuenire, & Eccle-
siam suā nostris temporibus, nostro labore ipso cooperante in statum
redire vnitatis pristinæ. Hoc quanquam dudum, Deo teste, desidera-
uimus, tamen cognita nimia eorum austeritate, qui in Romana erant
Ecclesia, non vtile nobis visum est, vel cōpetens, eos de hac causa con-
uenire: quia magis videbantur nos prosequi odio & indignatione,
quam zelo iusticiæ, vel etiam, quam velle nos amplecti dulcedine cha-
ritatis ad profectum Ecclesiæ. Effectus hoc probat: quia cùm ipsi re-
gnū hæreditario iure nobis collatum tempore religiosorum viro-
rum Romanorum pontificum pacificè à nobis diu possessum contra
nos commouere studerēt & armare, multa inde orta est strages popu-
lorum, tam corporum quam etiam, quod magis dolēdum est, anima-
rum. Nunc quoq; filius noster, quem tam vehementer dileximus, vt
vsque ad solium regni nostri exaltaremus, eodē veneno infectus, con-
silio quorundam perfidissimorum & periuratorum sibi adhæretium,
insurgit in nos; postpositis omnibus Sacramentis, quibus se nobis ob-
ligauerat: posthabita omni fide & iusticia, tantūm vt Ecclesiarum bo-
na & regni liberè valeant perdere, rapere & inter se diuidere. Et cùm
multi

multi nobis persuadeant, absque dilatione in eos vi & armis esse vici-scendum, maluimus tamen adhuc differre, vt tam in Italico quam in Teutono regno sciatur manifeste, quod nec nostræ sit voluntatis, nec culpæ, si tandem inuiti & coacti in eos insurrexerimus, quæcumque mala vel infortunia vel populorum strages inde euenerint. Præterea quia audiuius te hominem discretum, Deum timentem, charitati insudantem, sanguinem hominum non sitire, rapinis & incendiis non gaudere, unitatem Ecclesiæ super omnia diligere, consilio & suggestione principum nostrorū mittimus tibi nuncium istum cum legatione nostra. Per hanc quippe volumus cognoscere, si est tibi voluntati, te nobis in charitate & amicabiliter, & nos vniri tibi, saluo nobis honore regni & imperij & totius nostræ dignitatis, sicut & auus & pater noster aliique antecessores nostri habuerunt, seruato etiam tibi à nobis honore Apostolicæ dignitatis, sicut antecessores nostri, tuis antecessorib. seruauerunt, & nos præfatis pontificibus. Quod si placuerit tibi, paternè nobiscum agere, & eam, quam mundus dare non potest, pacem integrè nobiscum componere, mitte nobis familiarē nuncium tuum, cum priuatis literis tuis & secreta legatione, cum hoc nuncio nostro, vt hoc modo indubitanter possimus cognoscere omnem de hac recertitudinem voluntatis tuę. Quæ cognita, mittemus tibi de maioribus principibus nostris, quales & nos tibi mittere, & te deceat à nobis recipere, ad tantam rē componendam, per quos exclusa omni ambiguitate manifeste possis cognoscere, nos veraciter velle comple re, quæ tibi mandamus secretè. Præterea quæ hīc inscripta non sunt, commisimus huic fidelissimo nostro nuncio, quædam tibi dicenda, quibus tam veraciter quam scriptis credas.

*Conditiones
quibus Ca-
esar componē
cupiat.*

EPISTOLA HENRICI REGIS AD
Hiltebrandum.

CVM hactenus à te ea, quæ sunt patris, expectarē, tibiq; in omnibus magna fideliu nostrorū indignatione obœdirē, recepi à te vicissitu dinē, qualē oportebat ab eo, qui vitæ regniq; nostri perniciosissimus hostis esset. Nā cùm primū omnē hæreditariā dignitatem, quæ mihi ab illa sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progredivs, regnum Italię pessimis artibus alienare tentasti: neq; hoc contentus, in reuerendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra vnti sunt, manum mittere non timuisti, eosq; superbissimis iniuriis acerbissimisq; contumeliis contra diuina & humana iura, vt ipsi aiunt, exagitasti: Quę omnia cùm ego quadā patientia dissimularem, tu hoc non patientiam sed ignauiam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandās quæ nosti, scilicet, vt tuis verbis utar, quod aut tu morereret, aut mihi animamq; regnumq; tolleres.

*avli τέρπεις
σκοπτίον.*

*Hiltebran-
di in Cas-
inowse.*

HENRICVS REX REGI CELTARVM.
PRINCEPS clarissime, & omnium in quibus post Deum speramus fidelissime: primum & præcipuum inter omnes vos excepti, cui

Mine.

coqueri & deplorare omnes calamitates meas & miseras necessarium
 duxi, & etiam genibus vestris aduolui, si licet salua maiestate imperij.
 Primum quidē est, quod non solum vobis, sed totius Christianæ pro-
 fessionis hominibus grauissimum ac intolerabile arbitramur, quod
 de Apostolica sede, vnde usq; ad memoriam nostri temporis salutifer
 fructus consolationis, dulcedinis & saluationis animarum oriebatur,
 modò persecutionis, excommunicationis & omne perditionis flagel-
 lum emittitur: nec ponunt ullum modum sententia, tantum ut satis-
 fiat voluntati indiscretæ. Huius voluntatis suæ intemperantia adeò
 usque nunc abusi sunt, ut nec Deum, nec quid aut quantum mali inde
 proueniat pensantes, per se & per suos omnibus modis in nos inuehā-
 tur, cùm obedientiam & omnem subiectionem debitam sàpe obtu-
 lerim Apostolicæ sedi: si tamè honor debitus & reuerētia, sicut ante-
 cessoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, oppor-
 tunius significabo vobis, si quando optati colloquij copiam Deus
 dederit nobis. In hac igitur persecutionis & odij sui inflammatione,
 cùm parum viderent se proficere, contra ipsum ius naturæ laborates,
 quod sine maximo cordis dolore, sine multis lacrymis dicere non va-
 leo, & quia dicitur, vehementer contremisco, filium meum, Absolon
 inquam dilectissimum, non solum contra me armauerunt, sed etiam
 tanto furore animauerunt, vt in primis cōtra fidem & sacramentum,
 quod ut miles Domino iurauerat, regnum meum inuaderet, Episco-
 pos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores meos susti-
 neret: ad ultimum, quod maximè vellem taceri, aut si taceri non po-
 test, vellem non credi, omnem affectum naturæ abiiciens, in salutem
 & animam meam intenderet, nec quicquam pensi haberet, quomodo
 vi & fraude ad hāc periculi & ignominiae suæ summā aspiraret. In hac
 tāta mali sui machinatione, cùm essem in pace & in aliqua salutis meæ
 securitate, in locum, qui Confluentia dicitur, in ipsis dominici aduen-
 tū sanctissimis diebus ad colloquium euocauit me, quasi de commu-
 ni salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cùm vidi, illi-
 co ex paterno affectu tactus, intrinsecus dolore cordis mei ad pedes
 suos procidi, admonens & obtestans per fidem, per salutem animæ, si
 pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipse nullam cōqui-
 reret maculam honori & nomini suo, quia culpæ patris vindicem si-
 liū esse nulla diuinæ legis constituit sanctio. At ille tam pulchre, imò
 miserrimè institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile sce-
 lus cœpit detestari. Et procidens ipse ad pedes meos, de præteritis cœ-
 pit veniam deprecari: In reliquum ut miles Domino, ut patri filius,
 cum fide & veritate per omnia se mihi obauditum promisit cum la-
 crymis, si modo sedi Apostolicæ velle reconciliari. Quod cùm prom-
 issimè annuissem, & deliberationi suæ & consilio principum hoc tan-
 tum mancipandum promissem, in præsentि nativitate se productu-
 rum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quām
 fidelius

*Sedes Ro-
manæ letna
reorum.*

*Cesaris a-
qui S. postu-
lato.*

*Henricus V.
alter Abbo-
ton.*

Confluentia.

*magistris
paterna.*

*subdolū in-
stutum.*

fidelius posset acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum, promisit in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari & filium à patre præcipit Deus diligere. Hac promissione, quæ & gentili obseruanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat. Et ecce quidam fideles verissimè me deceptum affirmabant & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum à me instantissimè admonitus, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice. Cùm ergo ad locum, qui *Binga* vocatur, peruenisse, iam existente die Veneris ante nativitatem, numerus armatorum suorum iam satis augebatur, iam *fraus ipsa de* se detegebatur, & filius ad me, Pater, inquit, nobis secedendum est in vicinum castellum: quia Moguntinus Episcopus in suam ciuitatem non admittet vos, quād diu in banno eritis. Nec vos impacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. Illic nativitatem cum honore & pace agatis, quo scunque placuerit vobis, vobiscū habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis utrisq; laborabo, quia causam vestram meam existimo esse. At ego, mi inquam fili, iudex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie D E v s, quo modo te in virum & heredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inseruierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeam, solus conscius es. Ille autem tertio sub eiusdem fidei & sacramenti attestacione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit. Sic postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifestè rei ostendit euentus. Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit, custodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici. Benedictus per omnia Deus exaltandi & humiliandi, quæ voluerit rex potentissimus. Cùm ergo ipso sacratissimo die nativitatis suæ omnibus redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisse natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam vt tacet opprobria, iniurias, minas, gladios in ceruicem meam exercitos, nisi omnia imperata facerem, præterea famem & siti, quam perferebam ab illis, quos iniuria erat videre & audire, vt etiam tacet, quod est grauius, me olim satis fœlicem fuisse, illud nunquam obliuiscar, illud nunquam desinam omnibus Christianis conqueri, quod illis sanctissimis diebus, sine omni Christiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus à filio meo missus venit ad me quidam princeps Wigbertus, dicens: nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine vlla contradictione omnia regni insignia redderem ex voluntate & imperio principum. At ego etsi omnis terra, quantum inhabitatur, mei regni terminus esset, nolle regno vitam commutare: quia vellem

*O scelerat&
in filio per-
fidiam.*

*Henrici III.
captiuitas.*

*Cotumelia
& iniuria
illata.*

*Vipert' Gre
steens.*

nollem sic agendum, & sicut definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis meus filius egrediens, relicts ibidem fidelibus & amicis meis, quasi me eò adducturus, sub multa frequētia armatorum suorum me abductum ad villam, quæ dicitur Engelzaim, fecit me ad se adduci, vbi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inueni, nec ipsum filium cæteris mihi meliorem reperi: Et quia firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogerent me regnum & omnia regalia exfestucare, simili modo & ipsi omnes minabātur mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consiliū fieri posse. Tunc ego inquam: quia de sola vita mea agitur, qua nihil preciosius habeo, vt saltem viuens pœnitentiam exhibeam Deo, quicquid imperatis faciam. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus essem, Apostolicæ sedis legatus, qui ibidem aderat (non dico qui omnia hæc audierat) respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publicè confiterer, me iniuste Hiltebrandum persecutum esse: Wigbertum ei iniuste supposuisse, & iniustum persecutionem in Apostolicam sedem & omnem Ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum magna cōtritione animi prostratus cœpi per Deum, per ipsam conscientiam orare, vt locus & tempus mihi daretur, vbi in præsentia omnium principum, cùm innocēs essem, vellem ex iudicio omnium me expurgare, & in quo culpabilem me recognoscerent, ex consilio omnium sanioris sententiæ pœnitentiam & satisfactionem, quo ordine iuberent, querere, & in principibus regni de fidelibus nostris, quoscunq; obsides vellent, dare. At idem legatus locum & diem mihi abnegauit, dicens: aut tibi totum debere determinari, aut nulla spes mihi esset euadendi. In tanto tribulationis articulo, cùm interrogarem, si confiterer omnia, quæ imperabantur, an confessio mea, vt iustum est, veniam & absolutionem consequeretur: Ibi legatus dixit, nō esse iuris sui me absoluere: Si vellem, inquit, absolui, Romam ire, satisfacere Apostolicæ sedi. Sic desolatum & spoliatum (nam & castella & patrimonia, & quicquid in regno conquisieram, eadem vi & arte sua extorserant à me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cùm aliquo tempore commoratus essem, & filius meus ex eodem fraudis suæ consilio demandasset, vt ibidem eum expectarem, superueniens quorundam fidelium meorum legatio præmonuit, vt siquidem ad monitum ibidem remanerem, fore aut in perpetuam raperer captiuitatem, aut in eodem decollarer. Quo nuncio satis tunc vitæ meæ diffisus, illico aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni. In quibus locis fideles viros & in fide regni constantes semper inueni. Horum cæterorumq; regni fidelium cōsilio vsus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare has omnes meas miserias. Fiducialius quidem propter mutua cōsanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum: honestius autem propter tanti regni non men

Henry III.
cogitatur se
abdicare
imperio.

*Exagitatur
a legato Pa-
pa.*

*Exiit ut pa-
trimenti &
fortunis.*

*Prononit
infidilarum
profugit.*

men gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac iniuriis propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiae vincula et si inter nos non essent, vestra tamen & omnium regum terræ interesset, iniuriam & contemptum meum vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare.

*HENRICVS DEI GRATIA ROMANORVM
Imp. Augustus, Henrico filio suo.*

Sie a nos debita affectione tractasses, qua deberes, lubetissimè tecum loqueremur, & paterna tibi mandaremus; verum quia longè alias quam paternæ affectionis & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequimus aliter tecum loqui, quam quod ipsa rei manifestissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico experimento facti tibi conscientius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri, omnia affectione deuotionis promisisti, nos ducere Moguntiā coram principibus, & inde nos securissimè reducere quocūq; vellemus. Hac fiducia cùm tecum amanter & indubitanter ascenderemus, contra datum fidem apud Bingam nos cepisti: ubi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec tristitia, qua ad pèdes tuos aliorumq; aduoluebamur, te commouit ad misericordiam, quin nos caperes, & captum mortali bus inimicis illudendum & custodiendum traderes, ubi multimodo genere contumeliaz & terroris afflicti, compulsi sumus ferme venire usq; ad ipsum mortis articulum. Ante captiuitatem abstulisti nobis Episcopatus, & quicquid de honore regni potuisti, & prædia nostra, & ipsam familiam: in captiuitate vero quicquid residuum erat, ut lanceam & crucem & omnia regalia insignia vi & timore mortis, ut ipse bene scis, & omni ferme notum est Christianitati, à nobis extorsisti, relicta vix ipsa vita. Cùm hoc tibi de nobis non sufficeret, postea semper ubi cunq; tuimus, modis omnibus, quibus potuisti, nos persequi nō cessasti, ut vel perderes vel de regno expelleres. Verum nos sat mirari nō possumus, qua ratione vel occasione tam obstinatè facias, cùm de Dominio Papa & Romana Ecclesia nulla tibi residua sit occasio. Nos enim nūcio domini Papæ & Romanæ Ecclesiæ te præsente parati sumus & sumus obœdire, & omnem debitam obœdientiam & reuerentiam ei coram & semper exhibere, & consilio principum & spiritualis patris nostri, Henrici Cluniacensis Abbatis, aliorumq; religiosorum virorum de statu Ecclesiæ & honore regni libentissimè agere. Te ergo rogamus pro honore regni & tua & paterna deuotione, & per autoritatem Romani Pontificis & Romanæ Ecclesiæ, ut de iniuria nobis illata, & de his, quæ nobis vi & iniustè abstulisti, iusticiam facias. Rogamus etiā, ut cùm nil rationis tibi sit, quare nos prosequaris, nos & fideles nostros cesses infestare, imò permittas nos pacifice & quietè viuere, ut integrè & cū tranquillitate possimus omnia supradicta age-

*Exordium
ab excusa-
tione.*

*Henricus F.
perfida &
in patrem
impetas.*

*Henricus
Abbas Clu-
niac.
petitio a-
quisitima.*

re. Recognosce etiam, & tecum cogita quia Deus iustus iudex est, cui commisimus causam nostram & vindictam: cuius etiam iudicia sunt occulta, velut abyssus multa. Quoniam quantumcunq; super afflictione & infortunia glorieris, & super humilitatem te extollas, forsitan de sedes sancta sua inter me & te gratuita misericordia aliud iam definiuit, *appellatio.* intercedente iusticia, quam tu ipse cogites & disponas. Quod si nulla alia vel reuerentia vel intercessio nobis valet, opto ut iusticiam consequi possimus, vel ut tuæ persecutionis impetus cesseret. Ad hoc idem Romanu Pontificem, & sanctam vniuersalē Romanā Ecclesiā appellamus.

H E N R I C V S D E I G R A T I A R O M . I M P . A V G .

Archiepiscopis, & ceteris Saxoniæ principibus, ac etiam reliquo populo, gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

*Henricus III.
de iniuria
sibi illata
querela.*

CONQUERIMVR Deo omnipotenti, & dominæ meæ sanctæ Mariæ, & beato Petro, principi Apostolorū, patrono nostro, & vobis principibus omnibus, quia iniuste & inhumanè & crudeliter in illa confisi fide, qua dubitare non debuimus, tractati sumus, & tam honore regni quam prediis omnibus, quæ habebamus contra diuinū & humanum ius, ad infamiā & vituperiū regni, ita expoliati sumus, ut nihil penitus preter vitam nobis relictum sit. Vbi cum ferme omnes essetis, magna pars vestrum visa est dolore contrastari: sed propter dolor, nihil nobis contulit vestra tristitia, quin in nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorum odiosa. Et quia consilio & rogatu filij nostri, fide & securitate vita & honoris primum ab eo accepta, fiducialiter & desideranter Moguntiam in praesentiā Legati Romani & principū tenderamus, ut eorum dispositione ageremus tam de statu Ecclesiæ & honore regni, quam de salute animæ nostræ, ipse non est veritus in hac voluntate & obediencia nos contra datam fidem capere, & usque ad articulum mortis ferme ducere: non ausi sumus ita nos illi credere, ut iniuria & contumeliis nos pro voluntate sua, sicut prius, valeat tractare. Quapropter multum vos rogamus, & obnoxie precamur, ut pro timore Dei & honore regni, & honestate vestra, dignemini studere, quomodo de iniuria, in manibus vestris nobis illata, per vos possimus recuperare iusticiam. Nos autem pro consilio vestro & aliorum, qui nos odio non habent, religiosorum virorum paratus, tam filio nostro, si in aliquo eum offendimus, quam alicui in regno libenter ratione dare. Præterea sicut domino Papæ in praesentia legati sui & vestra obediens parati fuimus, ita nunc parati sumus ei omnem debitam reuerentiam & obedienciam sincero corde & deuotione praesentia liter exhibere, & tam consilio vestro quam spiritualis patris nostri, Henrici Cluniacensis Abbatis, aliorumque religiosorum de statu Ecclesiæ & honore regni quantum in nobis est disponere. Cum ergo ad hec omnia paratis sumus, rogamus vos & obnoxie precamur, quatenus pro Deo & honore regni & vestro instanter moneatis filium nostrum, cum nulla ei secundum prefatam sententiam aduersum nos residua sit occasio, à modo defensum nos & fideles nostros persequi, & pacificè & quietè viuere permittat,

*Petition ad
ordines Sa-
xonum.*

*Henricus
Cluniac.*

mittat, ut suprà dicta integrè & cū trāquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per autoritatē Rōm. Ecclesiæ, cui nos cōmittimus & hōnōtē regni, ne super nos & fideles nostros veniatis, q̄a mani festū est, non eū diuinæ legis zelo, vel Romanę Ecclesię dilectione, sed cōcupiscentia regni, patre iniustè eo priuato, hoc incepisse. Apud quē si interpellatio vestra nullaq; alia interuētio ad pr̄sens p̄dēsse poterit, appellamus Rom. Pontificē, & sanctā vniuersalē Ro. sedē & Ecclesiā.

HENRICVS DEI GRATIA IMP. ROM. AVG.

Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, cæterisq; regni principibus, gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

RO GAMVS filiū nostrum, & vos multū precati sumus, vt dimisso exercitu ordinaretur, quomodo possemus cōuenire, vt de iniuria nostra & pace componenda ad honorē regni possit dignè & decēter definiri. Placuit vobis remādere, vnde nobis longè grauior priori oritur querimonia, quod dimissa obsidione Coloniæ vultis super nos & fideles nostros sub specie colloquiū cū exercitu venire, datis induciis oīto dierū, quæ nunquā datę sunt homini alicuius conditionis, vt bene scitis, vsq; ad hanc diē pro legitima definitione alicuius minoris negotij, ne dū pro tāta re, secundū legē diuinā vel humanam, vel etiā secundū usum hominum. Oportet enim nos habere, si vobis placeret, saltē tales inducias, intra quas possimus conuocare, & precibus inuitare, ad hanc eandē causam, Moguntinū, Treuirensim & Bremensim, Archiepiscopos; Frisingensem, Augustensem, Curiensem, Basiliensem, Episcopos; Duce Magnū cum Duce Theodorico, & Duce Bohemicū & Comitē Flandreniem cū Comite Burgundiæ, & aliis qui ad pr̄fatum negotiū, vt bene scitis, sunt valde necessarij. Quapropter sicut prius ro gamus & obnixè precamur, quatenus pro Deo & anima vestra & pro appellatione Domini Rom. Pontificis Paschalis & Rom. Ecclesiæ, & pro honore regni, dignemini apud filiū nostrū efficere, vt dimisso exercitu cesseret nos persequi, & ordinetur, quomodo securè & absq; ambiguitate possimus nos cū cæteris supradictis ad agendū de nostra iniuria & pace in regno componēda, quietè & pacificè cōuenire. Quod si nullatenus cessare voluerit, p̄clamatiōne inde fecimus, & semper facimus Deo & sanctę Marię, & beato Petro, patrono nostro, & omnibus sanctis, & omnib. Christianis, & vobis maximè, omni deuotione precātes, vt dignemini cessare eū persequi ad persecutionē tantę iniuria, & vos eū imitari. Appellauimus, & tertio appellamus Dominum Rō. pontificē Paschalē, & sanctā vniuersalē sedē & Rō. Ecclesiā. Quod si hoc tātu nobis, & ad hoc, vt ipse cesseret nos p̄sequi, prodesse nō poterit, cōmittemus nos omnipotēti Patri & Filio, sanctoq; Spiritui paraclero, & beatę Marię perpetuę virginī, & beato Petro & Paulo & sancto Lāberto omnibusq; sanctis, vt diuina miseratio, omniūq; sanctorū intercessio humilitatē nostrā respicere, nosq; cōtra tantū tāq; iniurium Imperiū defendere dignetur, Amen.

FINIS.

d ij

Appellatio.

Vult absque
armis com-
poni.

Colloquiū &
induciarū
postulatio
insqua.

obstatio.

Appellatio.

VITA ET GESTA HILTE-
BRANDI, QVI ROMANVS PONTIFEX FA-
CTVS, GREGORIVS SEPTIMVS DICTVS EST,
*descripta per Bennonem Cardinalem, Archipresbyte-
rum Ecclesiæ Romanae, qui eo tempore vixit.*

*REVERENDISSIMAE MATRI SANCTAE ROMANAECCLÆ-
sie, deuotus filius eius & humili& seruus, Benno, Cardinalium
Archipresbyter.*

*Auctoris in-
sticuum.*



Hiltebrand.

*A quibus &
cur desertus
ac damnata-
tus.*

*Circunscri-
bit arte Epi-
scopos & cle-
rum.*

*Intraedit Po-
tificatum
contra Ca-
nones.*

V M de omnibus Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus fe-
rè solus Eusebius Liberum Papam declarauerit hære-
ticum, & clerici Romanæ Ecclesiæ Anastasium secun-
dum, duas Ecclesiæ excommunicatis communicâdo
facientem damnauerint, non absurdum existimauit,
maiorum nostrorum nomina atq; dignitates memo-
riæ commendare, qui Hiltebrandum reliquerunt, cuius intolerabiles
& grauissimos errores publicè detestati, nunquā ad eum reuersi sunt.
Diuerfas etiā scholas Romanæ Ecclesiæ litteris adnotauimus, quæ ab
eius cōmunione recesserunt. Leo tunc temporis archipresbyter Car-
dinalium, & Benno & Vgobaldus, & Ioannes Cardinalis, & Petrus
Cancellarius & Cardinalis, ordinati ante tempora Hiltebrandi: Na-
tro, Innocentius, Leo, hi tres ab eo consecrati, deseruerunt eum, erro-
res eius execrati: Similiter Theodinus Archidiaconus, quem ipse con-
stituit Archidiaconum, & alij Cardinales diaconi: Ioannes, modò Ar-
chidiaconus, & Crescentius, Ioannes, primicerius scholæ cantorum,
cum omnibus suis: Petrus oblationarius cum omnibus suis, excepto
vno: Poppe, prior scholæ regionariæ cum omnibus suis subdiaconis:
Archiacolythus & Subpulmentarius cum suis: Centius, iudicium pri-
micerius cum aliis iudicibus, & cuncti milites signa banda gestantes:
prior scribariorum cum plerisque suis. Ipsi etiam Episcopi cùm iam
vellent eum deserere, Hiltebrandus conuocatis ad se laicis, eis consi-
lium suum aperuit, & quod Episcopos à colloquio Cardinalium vel-
let separare, indicauit. Post hæc ipsos Episcopos conuocauit, & turbis
laicorum stipatus, sacramentum ab ipsis Episcopis cum terrore & mi-
nis exegit & extorsit, & in manu sua iurare coëgit, ne vnquā ab eo dis-
sentiret, nunquam regis causam defenderent, nunquā superordinato
sibi Papa fauerent, vel obœdirent. Quo facto, eos per Principem Sa-
lernitanum in Campaniam misit: & sic eos à consortio Cardinalium
& à Romana vrbe separauit. Nec solùm Episcopos, sed etiam Vrbis
presbyteros & inferioris ordinis clericos, insuper & laicos iuramentis
allegauit, ne vlla ratione, vlo tempore, condescenderet in causa regis.
Alexandro Papa iuxta vespertinam horam defuncto, eadem die
contra Canones à laicis electus est. Sed Cardinales nō subscrípserunt
in electione eius: sub anathemate enim Canones præcipiunt, nemí-
nem

nem eligi in sedem Romani Pontificis ante diem tertium post sepulturam ipsius prædecessoris. Postquam aliunde ascendit, à consilio remouit Cardinales sacræ sedis.

Cum quibus personis consilia sua diebus ac noctibus habuit, Roma vidit & audiuit.

Eiectis à consilio & à custodia eius Cardinalibus, vita eius & fides & doctrina sine testibus fuit: cùm sacri canones præcipiat, vt in omni loco tres Cardinales presbyteri & duo diaconi Papam non deferant, propter testimonium ecclesiasticum, & propter stylum veritatis.

Scripturas sacras violenter intorsit in adiutorium falsitatis: quod genus idolatriæ quantum sit, latè patet in scripturæ sacræ campis spacioſis.

Præter voluntatem & consilium Cardinalium extra ordinem iudicandi, sacris canonib[us] determinatum, Imperatorem in nulla Synodo Canonice accusatum, præcipitanter excommunicauit, in qua excommunicatione nullus Cardinalium subscrispsit.

Vt primùm ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedes ipsa nouiter lignis fortissimis composita, subito Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes: Ut manifestè daretur intelligi, quanta sessor ille tam periculosa excōmunicatione, & præsumptione, quāque terribilia schismata seminaret contra Ecclesiam Christi, contra sedem beati Petri, quām crudeliter dissiparet cathedram Christi, conculcando leges Ecclesiæ, imperando cum potentia & austерitate.

In descriptione eiusdem excommunicationis ea interseruit, in quibus manifestè à fide Catholica errauit, cùm iniustè excommunicatum Imperatorem, & Episcopos cōmunicantes ei, except ab excommunicatione tertio gradu communicantes eis, & vnitatem Ecclesiæ scindens, quantum in ipso fuit, duas Ecclesiæ fecit.

Idem præsumptor iejunium indixit Cardinalibus, vt Deus ostenderet, quis rectius sentiret de corpore Domini, Romana ne Ecclesia, an Beringarius: per hoc manifestè probatus infidelis, cùm in Niceno consilio scriptum sit, quia dubius in fide, infidelis est.

Et de corpore domini signum quæsiuit, quod petente Beato Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigit, quando panis Christi formam accepit digit[i]. Et misit duos Cardinales, Othonem & Cunonem, ad sanctam Anastasiam, vt cum Suppone, eiusdem Ecclesiæ Archipresbytero, triduanum iejunium peragerent, & illis tribus diebus singuli per dies singulos psalterium & missas decantarent, vt supra dictum signum eis Christus ostenderet: quod minimè contigit.

Imperator solitus erat frequenter ire ad orationem ad Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ est in monte Auentino. Hiltebrandus autem cùm per exploratores suos omnia eius opera solicite inquireret, locum in quo frequentius Imperator vel stans, vel prostratus orabat, notari fecit: & quendam promissa pecunia ad hoc induxit, vt supra trabes Ec-

*Expellit à se
Cardinales.*

*S. Scripturæ
violenter
detorquet.*

*Cæsarē indi-
cta causa
damnat.*

Prodigium.

*Dura ini-
quissima.*

*Hiltebrāds
iejunū de
doctrina Be-
ringarij.*

*Prodigium
de eccl[esi]e ex-
peritum.*

*Infida Cæ-
saristructa.*

clesiæ occultè lapides magnos collocaret, & ita aptaret, vt de alto super caput orantis Imperatoris demitteret, & ipsum contereret. Quod minister tanti sceleris cùm festinaret implere, & lapidem magni ponderis super trabes aptare vellet, lapis pondere suo eum traxit, & fracta sub trabibus tabula, & lapis & ille miser homo Dei iudicio in paumentum Ecclesiæ cecidit, & eodem lapide contritus penitus est. Huius rei gestæ ordinem postquam Romani cognouerunt, pedem illius miseri fune ligauerunt, & triduo per plateas vrbis ad exemplum trahi fecerunt. Imperator autem solita clementia iussit eum sepeliri.

Dominatio-
nnes è pane
mystico.

Ioannes Portuensis Episcopus, qui intimus fuerat & à secretis Hiltebrandi, ascendit in ambonem beati Petri, & inter multa, audiente clero & populo, ait: Tale quid fecit Hiltebrandus & nos, vnde deberemus viui incendi: significans de sacramento corporis Domini, quod Hiltebrandus, responsa diuina querens contra Imperatorem, fertur iniecisse igni, contradicentibus Cardinalibus, qui assistebant ei.

Pascham de
Cesare Ga-
ticinum.

Debetio.

In Pascha Domini feria secunda, cùm ad Ecclesiam sancti Petri ad missam clerus & populus conuenisset, post Euangeliū in ambone in ascensio, sicut erat indutus Pontificalibus indumentis. Et in præsencia Episcoporum & Cardinalium, in frequentia cleri & senatus & populi Romani, publicè clamauit inter multa suæ diuinationis verba: Regem Henricum usque ad proximum sancti Petri festum sine dubio moritum, aut à regno penitus deiiciendum, in tantum, ut ulterius non posset congregare quam sex milites. Prædicauit etiam Episcopis & Cardinalibus & omnibus qui aderant, de ambone clamans: Nullo modo habete me pro Papa ulterius, sed ab altari me auellite, si usque ad prædictum festum prophetia hæc effectum non habuerit.

Nona in Im-
per. insidie,
& inde Ga-
ticinij vani-
tas detecta.

Eisdem diebus parauit Imperatorem perdere per occultos proditores, Deus autem eum custodiuit. Et eodem tempore fuerunt nonnulli, qui existimauerunt, ipsum Hiltebrandum conscientem extitisse, & ordinatorem proditionis: quia eisdem diebus paulo ante prodicionem de morte regis fallò prophetata præsumpsit. Quod verbum vehementer percussit corda multorum. Et palam factum est, Hiltebrandum voce propria in conuentu Ecclesiæ esse damnatum, qui (vt dictum est) iudicauerat se nullo modo esse Papam, neque pro Papa ulterius habendum, sed proditorem & mendacem esse credendum, nisi usque ad proximum festum sancti Petri Imperator moreretur, aut omni honore spoliaretur, adeò ut ultra sex milites congregare non posset: & diuino nutu actum est, ut à seipso quoque damnaretur hæreticus. Sic enim ait Apostolicus: Dominus ipse inquit: Propheta, qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego nō præcepī, ut diceret, aut ex nomine aliorum deorum, interficietur. Quod si tibi tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus nō est eloquutus? Hoc habebis signū, quod in nomine Domini propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non

nus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit,
& idcirco non timebis eum.

Tempore autem transacto, quod Hiltebrandus in diuinatione sua
præfixit, Rege vero neq; mortuo, neq; militibus suis imminuto, timēs
se suis verbis deprehensum, & ore proprio condemnatum, ad callida
argumenta se conuertit, persuadens vulgo indocto, nō de corpore sed
de anima Regis se prophetasse: quasi anima regis milites omnes præ-
ter sex perdidisset, vel illo spatio mortua esset. Et his verbis vulgus in-
doctū delusit. Contra huiusmodi prophetas beatus Gregorius super
Ezechielem ait: Inter Prophetas veros & falsos ista est distantia, quia
Prophetæ veri, si quid aliquando per suum spiritum dicunt, citius cor-
rigunt: Prophetæ autem falsi, & falsa denunciant, & alieni à sancto
Spiritu in sua falsitate perdurant.

In opere
falso vari-
cino com-
mentum.

Tres homines non conuictos, non confessos, absq; secularibus iudi-
cibus Hiltebrandus morti adiudicauit, & eos in patibulis iuxta Eccle-
siā sancti Petri, in loco qui dicitur Palatiolum, interfici suspensos coë-
git, sine dilatione, sine discussione, contra leges, quæ præcipiunt etiam
manifestos reos intra spacium & retractionē triginta dierū nō inter-
fici. Quæ etiam apud paganos vigent & seruantur, sicut docet autho-
ritas B. Ambrosij, & passio sanctorum Marcelliani & Marci.

Tyrannia &
animi im-
potentia.

Centum, filium præfecti Stephani, prius fidelem suum, in carce-
rem misit, & in vase vndiq; aculeis vestito mille & mille mortibus cru-
ciauit. Qui postquam euasit, ipsum Hiltebrandum cepit. De cuius ca-
ptione antequā euaderet, omnibus, qui captionis illius cooperatores
fuerant, hoc debitum publicè remisit, quod postea infideliter vindicauit,
Centum, cui omnia remiserat, persequi cœpit, & nouē de homi-
nibus Centij in patibulis suspendio interfecit ante portas sancti Petri.

In Centum
insuria &
perfida.

Filius cuiusdam viduæ captioni eius interfuit, cui cum multis aliis
pœnam & exiliū vnius anni indixit. Quo expleto, vidua ampliori sa-
tisfactione volens placare animum Hiltebradi, funem immisit collo
filii sui, & fune filium trahens, pariter cum filio ad pedes Hiltebrandi
procidit, dicens: Domine Papa, de manu tua volo recipere filium me-
um, qui exiliū vnius anni, & pœnam à te iniunctam portauit. Adhæc
Hiltebrandus in præsenti, propter eos qui aderant, iram dissimulans,
filium ei reddidit, cum austeritate dicens: Vade vade fœmina, dimitte
me in pace. Postea missis apparitoribus suis, filiū viduæ apprehendit,
& iudicibus, vt eum morti damnarent, præcepit. Qui vno ore respon-
derunt, se ulterius non posse illum condemnare, qui ad iudicium Pa-
pæ configisset, & pœnitentiam & exilium vnius anni ab ipso Pa-
painiunctum iam impleuisset. Ad hæc gloriosus Hiltebrandus iudi-
cibus iratus, præcepit abscondi pedem filio viduæ, quæ frustra apud
Hiltebrandum existimauerat pœnitentiam & leges & iura valere. Et
pede truncatus dolore illo post triduum mortuus est.

Atrocitas
in suppliciis.

Multa quidem alia fecit Hiltebrandus, in quem clamat sanguis Ec

Flagitia.

clesiæ, gladio linguae eius miserabili proditione effusus, propter quæ à communione eius iustissimè Ecclesia recessit, sicut fecerunt maiores nostri temporibus apostatarum Liberij & Anastasij.

Vt Liberij festum celebraretur, iussit. Hoc præcepto eius hæresin firmavit, qui ex laudabilibus meritis damnabiles exitus habuit.

Liberma-
gicus.

Die quodam cùm de Albano Romam veniret, oblitus est secū ferre familiarem sibi librum necromanticæ artis, sine quo nusquam aut raro incedebat. Quod cùm in itinere ei ad memoriam redisset, in introitu portæ Lateranensis festinanter vocauit duos de familiaribus suis assuetos & fidos ministros scelerum suorum, & vt eundem librum cito tissimè sibi afferrent, præcepit, & terribiliter interminatus est, ne librum in via aperire præsumerent, nec vlla curiositate secreta libri inuestigarent. Sed quanto amplius inhibuit, tanto vehementius eorum curiositatem ad inuestiganda eiusdem libri arcana accedit. Igitur dum in redditu librum reserassent, & diabolicæ artis præcepta curiose legerent, subito affuerunt angeli Satanæ, quorum multitudine & horrore duo illi iuuenes propè affecti amentes, vix ad se reuersi sunt. Et (ut ipsi retulerunt) maligni spiritus instabant, dicentes: Ad quid nos vocastis? quare fatigastis? citò præcipite, quod nos agere vultis, alioquin insurgemus in vos, si nos diutius tenueritis. Ad hoc alter iuuenum: Festinanter (inquit) muros illos deiicite. Et hæc dicens, manu ostendit muros altos vicinos Romæ, quos in momento maligni spiritus deiecerunt. Et iuuenes sancte crucis signo se signantes, tanto terrore exterriti, trementes & palpitantes vix Romam ad Dominum suum peruererunt.

Autoris
epistola.

In iusta ex-
communi-
catio qua.

Venerandis Ecclesiæ Romanæ patribus & dilectis in Christo & semper diligendis fratribus, Benno, Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, fidele seruitium & salutem, seruantibus Ecclesiæ Catholicæ communione: De cuius communione & disciplina, vel potestate, frustra si bi applaudit, quisquis iniuste ex potestatis præsumptione quenquam ligauerit vel soluerit. Iniuste autem ligat, quisquis aliquæ paratum satisfacere, & audientiam implorantem, neque conuictum neq; sponte confessum anathematizat, imò seipsum frustra maledicendo, quasi proprio iaculo in se intorto, maledicit & condemnat. O noua proditio, procedens de sanctuario, imò de eo, qui vt summus sacerdos videbatur Ecclesiam regere, & senioribus iudicibus præesse.

Hiltebradi
artes de Epi-
scopis Simo-
nacis.

Hiltebrandus instabat Imperatori, vt eiiceret Episcopos Simoniacos. Imperator credens, quasi ex zelo legis, quasi à throno Dei procederent hæc mandata, sine mora obœdiebat, sine mora, sine discussione, sine iudicio ordine Episcopos eiiciebat: dū per hanc obœdientiam se Deo sacrificare existimabat, dum adhuc versutias Hiltebrandi minus intelligebat.

Hiltebrandus verò expulsos à rege Simoniacos relocabat, & quos regi infestos reddiderat, eos sibi familiari amicitia reconciliabat, & multis

multis & magnis iuramentis sibi fidos & obnoxios efficiens præ aliis exaltabat. Et modico tempore iis artibus regia domo perturbata, & penè amicis destituta, sibi verò amicitia maiorum principum compara-ta, ex improviso sine legitima accusatione, sine canonica vocatio-ne, sine iudicario ordine, obœdientem sibi Imperatorem excommuni-cauit, & regni principes ab eo separauit. Et cùm Apostolus præci-piat, ne quis circumueniat in negotio fratrem suum, quantum in eo fuit, mortificauit potius quām castigauit. Sic autem Imperator mul-timodo circumuentus, præter Canonicum ordinem excommunicatus, & consensu Hiltebrandi & cōsilio magna ex parte imperij hono-re expoliatus, & bellis & cedibus immensis fidelium suorum prægra-uatus, frustra Canonicaudientiam implorauit, & extortam con-fessionem inuitus ac coactus apud Canusium in præsentia Hiltebran-di protulit. Dicite quæso qui iustitiam diligitis, qui ad dextram vel si-nistram fauore alicuius personæ declinare non nostis, dicite quæso, si cōfessio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, nedum Cæsari, præ-iudicare debuit? Si ex confessione extorta potius non extitit reus Ca-nonum hic, qui extorsit, quām qui peruersè iudicatus peruersoris iu-dicis iniuriam & violentiam patienter & publicè, & cum lachryma-bili afflictione, nudis pedib. in laneis vestibus, hyeme præter solitum aspera, apud Canusium SPPECTACVLVM ANGELORVM FACTVS ET HOMINVM, & Hiltebrandi ludibriū, triduò pertulit? Dicite quæso, si quisquam sanctorum Pontificum quenquā plebeium, nisi aut spon-te cōfessum, aut in synodo conuictum, nec in eadem prouincia, sed in longinquis terrarū partibus semotum, tam præcipiti iudicio damna-re præsumisit? Si quis tam audacter abusus est potestate ligandi & sol-uendi? Evidem Ambrosius Theodosium ligauit, sed præsentē spon-te confessum. Maximus, Salonitanus Episcopus, per plures annos ex-tra prouinciam sui Episcopatus Romæ apud beatum Gregorium de Simoniaca hæresi, & diuersis adulteriis accusatus, vno tandem anno, deficientibus accusatoribus, sacramēto sola manu præstito, purgatus est, sicut in registro eiusdem beati Gregorij legitur. Et beatus Augu-stinus in lib. de pœnitentia: Satis (inquit) ostendit Apostolus, non te-mere & quomodolibet, sed per iudicium auferēdos esse malos ab Ec-clesiæ communione, & si per iudicium auferri non possint, tolerentur potius, ne peruersè malos euitādo, ab Ecclesia ipse discedēs, eos, quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Multi, inquit, corriguntur, vt Pe-trus: multi tolerantur, vt Iudas: multi nesciuntur, donec veniat Domi-nus, qui illuminat abscondita tenebrarum. Et quidam, inquit, metu-entes præcepta seueritatis, quibus admonemur corripere inquietos, non dare sanctum canibus, Ethnicum habere Ecclesiæ contem-to-re, à compage corporis membrum, quod scandalizat, euellere, ita perturbant Ecclesiæ pacem, vt conentur ante tempus separare ziza-nia, atque hoc errore cæcati, ipsi potius à Christi veritate separantur.

Anathema
iniquissi-mum.

Cæsari an-gusta, & in de petita et piatto.

In confes-sio-nem & an-thema ille-gitimum.

Cæsar specta-culum An-gelorum & hominum.

D. Ambros.
Theodosius
Imp.
Maximus
Episc.

Augustini
de excom-munica-tio-ne sentētia.

Qualis nobis causa est aduersus schismata Donati, & non cum illis, qui nouerunt Cæcilianum non veris sed calumniosis criminibus appetitum, & perniciosa sententiam suā mortifero pudore non deferrunt: sed cum illis, quibus dicimus, etiam si mali fuissent, propter quos in Ecclesia non estis, vos tamen eos ferendo, quos emendare aut segregare minimè poteratis, in Ecclesia permanere debuistis. Et paulò post: Nos, inquit, ad sanam doctrinam pertinere arbitramur, ex utrisque testimoniis vitam sententiamq; moderari, ut canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ toleremus, & canibus sanctum, vbi Ecclesiæ pax tutæ est, non demus. Hiltebrandus autem non solum Ecclesiæ perturbauit pacem, sed etiam ecclesiasticam scidit unitatem, & unice fidei vestem inconsutilem: dum Cæsarem & Episcopos communicantes Cæsari absq; iudicario ordine excommunicabat, & tertio gradu communicantes eis ab excommunicatione noua pietate excipiebat: quos huiusmodi artibus & regi subducere, & sibi allicere festinabat.

Hiltebrandus perniciens schismatis auctor.

Dicant nunc Hiltebradi discipuli, quibus commentis, quibus coloribus deaurare possint, quod ipse Hiltebradus in synodo generali heretica predicauit, predicando excommunicatis communicare consensit, predicata scripsit, predicatione & scriptis alteram catholicam, alteram excommunicatorū Ecclesiam faciens, unitatē scidit, & scripta per orbem terrarū disseminauit: predicado, scribedo, scripta dissemīnando seipsum hereticū manifestauit, & ore proprio, & confessione heretico non extorta, diuino urgente iudicio, cōdemnauit, dum vulgus erroneum sanctum existimaret, & Apostolis exæquaret spiritum tantum erroris, cum etiam prudentiores eius laqueis caperentur, & inducentur in temptationem, si fieri posset, etiam electi.

Habetur pro apostolo.

Mentimur, nisi tredecim Cardinales sapientiores, & religiosiores, ipse Archidiaconus & ipse primicerius & multi alij Lateranensium clericorum, quorum iudicio ex privilegio sanctæ sedis totus subiacet mundus, apostasiam eius intolerabilem perpendentes, ab eius communione recesserunt.

Dilemma de- dixisse Cæsari obnubilatum.

Baptismus excommunicatorum.

Dicant, oramus, Hiltebrandi discipuli, qua præsumptione magister eorum unitatem Ecclesiæ in duas vel plures partes diuisit? Si enim Cæsarem iniuste, & absq; iudicario ordine damnauit, seipsum potius ab Ecclesia separauit. Si vero iuste excommunicationis gladiū in Cæsarem vel Episcopos communicantes Cæsari exeruit, quare communicantes ipsis Episcopis tertio gradu per scripturam excipiendo absoluti? Nunquid etiam viuis diei infans ab excommunicatis conceditur aliqua necessitate baptizari, vel ab excommunicatis baptizatus, & continuo mortuus, creditur saluari? Evidē sacer Ecclesiæ Chalcedonensis canon prædicat, apud hereticos non posse ad salutem baptizari, & damnat eos, qui parvulos extra Ecclesiā baptizados obtulerint. Quid propriè de parvulis apud excommunicatos baptizatis beatus Augustinus scribat Bonifacio Episcopo, in serie eiusdem epistolæ facile & lucidè po-

dè potest reperiri. Reperitur & hoc ipsum in epistola beati Gregorij, quam pro paruulis sollicitus, Episcopis Longobardiae misit. Reperitur etiam multiplicitate in campis sacræ scripturæ latis & spatiose.

Gloriosus autem Hiltebrandus, & pedisequus eius Turbanus, non
potest soluentes decreta Chalcedonensis Concilij, non solum
verbis sed & scriptis publicis consenserunt extra Ecclesiam commu-
nicare & baptizare: quām cæsi essent, quām hæretici scriptis propriis
deprehensi. Proh nefas, iij præsumserunt de Ecclesia iudicare, qui nus-
quam reperiuntur non errasse, quibus etiam ipsa veritas reputatur in
mendacium, quam solo fallendi studio verbis & scriptis suis, ne vene-
na erroris eorum perciperentur, quasi mel veneficorum more admi-
scuerunt. Mendaciū enim est, ut beatus Augustinus ait, omnis enun-
ciatio prolata intentione fallendi.

Vterq; autem, Hiltebrandus scilicet & Turbanus, in hæresin Libe-
rij cecidit, qui postquam publicè communicauit excommunicatis,
duas Ecclesias faciens, unitatem scidit. Sed non tacuit beatus Presby-
ter Eusebius, quo legitimè defendente unitatem usque ad mortem,
& vita & morte eius clarificante doctrinam catholicam, Liberius de-
claratus est hæreticus.

Liberum unus Eusebius communionem eius deserendo, & iuxta
Euangelium tanquam Ethnicum & publicanum deuitando, ligauit,
uno spiritu cum beato Augustino magis opere quām verbo dicens:
Cœpisti habere fratrem tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed
ut iustè facias vide, nam iniusta vincula iustitia disrumpit.

Vnus Eusebius Liberum recedendo à communione eius ligauit: quanto magis Hiltebrandus in errore perseverans cum angelis suis apostatis damnatus in abyssum relegatus est, Romanæ Ecclesiæ patri-
bus ab eius communione recentibus, & eius hæreses & ligandi &
soluendi abusionem execrantibus.

Anastasius Papa canonice intravit: sed quia vni excommunicato sine satisfactione publica communicauit, quidam Romanorum clericorum ex potestate & priuilegio sanctæ sedis communionem eius deserentes, cum ligauerunt, quia communicando excommunicato Ecclesiam diuidere præsumserunt. Hiltebrandus vero à discipulis suis sanctus prædicabatur, quasi æqualia & longè deteriora non commiserit, quasi Romanæ Ecclesiæ clerci & laici publicè ab eius communione non recesserint.

Sileant hypocritæ, sicut ait beatus Petrus piratis similes, beati Petri Hypocristæ.
nomen igne malitiæ sub nomine catholico, sub obtentu iustitiæ, arti-
ficiosè supposito destruentes, & ferè demergentes. Obstupescant
Pseudoprophetæ ad vocē Petri, in facie humani, in cauda scorpiones,
lupi sub ouina pelle latentes, corpora trucidantes in oris gladio, & ani-
mas pariter deuorantes: quorum religio nihil aliud redolet, nisi pro-
ditione & auaritiam: penetrantes domos viduarū captiuas duxerunt

Turbanus
Hiltebradi
pedisequus.

Mendacium.

Hæresis Lib-
erij.

Eusebius
Presbyter.

Locus At-
guistini.

Anastasius
Papa Sondo
abstēns de-
claratus.

Hiltebradi
discipuleo-
rumq; affec-
tatio.

Nefariare-
ligo.

*Magistris
Hiltebradi.*
*Ioannes Gra-
tianus Ar-
chipesby-
ter.*
*Theophyla-
ctus magus
pof Benedi-
ctus IX. Pa-
pa.*

mulierculas oneratas peccatis, sub occasione impacati tēporis atten-
dentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmonum, quas accepit Hilte-
brandus magister eorum à magistris suis, à Theophylacto, qui cognō-
minatus est Benedictus Papa i x. à Laurentio, Malasitano Archiepi-
scopo, à Ioanne Archipresbytero S. Ioannis de porta Latina, qui post-
ea cognominatus est sextus Gregorius Papa.

*Laurentius
Archipes-
magorum
princeps.*
*Eiusdem ab-
guria.*

Theophylactus, sacrificiis dæmoniorū deditus, in syluis & mon-
tib. mulieres post se currere faciebat, quas magicis artibus ad sui amo-
rem coegerat. Testantur hoc libelli ipsius inuenti in domo eius, post-
quam vitam malè finierat. Et hæc fabula adhuc rusticis Romanorum
est notissima. Is dum ad Ecclesiam rediret de syluarum secretis, vbiq;
secum habens prædictū Laurentium, principem maleficiorum, cum
eo etiam publicè de Matheſi disputabat, & vulgo audum nouatum
rerum nouis diuinationibus in sui admirationem excitabat. Nomen
autem Laurentij apud simplices pro eo habebatur celebre, quia vide-
batur aliquando ex improviso prophetare. Et de complice & discipu-
lo suo Papa securus, gaudebat etiam publicè in conuentu Episcopo-
rum & Cardinalium & Senatorū auguria sua magnificare, & ad can-
tum auium subito augurio denunciare, quid ipso die, vel hesterno vel
nudiustertius factum esset in oriente & occidente, in meridie, in fe-
ptentrione, & in remotoribus vel extremis terrarum partibus, siue de
bellis siue de morte principum. Ad quem tentandum cùm quodam
die multi conuenissent, subito audita est auicula, quæ vulgo passer di-
citur, dulces voces frequentare. Et Laurentius subito interrogatus in
præsentia Theophylacti & Episcoporum qui conuenerant, quæ auis
illa caneret, subito respondens: Auicula, inquit, hoc aliis canit auicu-
lis, vt citò conueniant ad portam maiorem, vbi modò fractus cuius-
dam rustici currus, & effusum est milium, quod super illum ferebatur.
Inquit autem frequenti cantu, vt illuc citò conueniant & saturentur.
Quo auditu, plures astantium concito cursu maiorem portam alij a-
lium certatim præuenientes, petierunt, & sicut dixerat, inuenierunt.

Impunitas.

Auguria eius nullo diuinæ legis zelo vindicabantur, insuper à cō-
plice suo Papa semper magnificabantur. Vnde factum est, vt aliqui cu-
riosæ secessati, publicè & liberè frequentarent contubernium & magi-
sterium eius. Morabatur autem in domo prædicti Archipresbyteri
Ioannis de porta Latina, qui studiose eius magisterio adhærebat, &
imbuebatur artibus illius,

*Magis ini-
tium Roma
à Gerberto.*

Theophylacto autem & Laurentio adhuc iuuenibus, infecerat
vrbem iis maleficiis Gerbertus ille, de quo dictum est:

*Eiusdem
Papatus.*

Transit ab R. Gerbertus ad R. post Papa viger R.
Et Gerbertus quidē paulo post completum millenarium ascendens
de abyssō permissionis diuinæ, quatuor annis sedet, mutato nomine
dictus Syluester ii. Et per quæ multos decepit, per eadem dæmonum
responsa deceptus morte improvisa, Dei iudicio, est interceptus. Hic
responsum

responsum à suo dæmone acceperat, se non moriturum, nisi prius in Hierusalem missa ab eo celebrata. Hac ambage, hac nominis & quicunque delusus, dum ciuitatem Hierusalem prædictam sibi credit, Romæ in Ecclesia, quæ vocatur Hierusalem, Missam faciens in die stationis, ibidem miserabili & horrida morte præuentus, inter ipsas mortis angustias supplicat, manus & linguam sibi abscindi, per quas sacrificando dæmonibus Deum inhonorauit. Ethic quidem dignum suis meritis exitum inuenit. Sed discipulos illius, Theophylactum & Laurentium, magistri mors tērrima à studiis idololatriæ non absterruit, quibus vltio diuina (ut paulò post dicendum est) non defuit.

Igitur post infelicem exitum Gerberti, certamen erat inter discipulos ipsius, dum quisque anhelaret ad rapiendum Papatum sibi. Sed autem post eum decimus octauus Ioannes, & quinto mense veneno suffocatus dicitur à suis. Huic successit decimus nonus Ioannes, & vix annum peregit. Cui successit quartus Sergius, & sedit tribus annis. Anno quinto post Gerbertum sedit octauus Benedictus, Laius, frater Albrici Tusculanensis, patruus Theophylacti, & vndeциmo anno decessit. Huic successit frater eius carnis, & patruus Theophylacti, vigesimus Ioannes, neophytus, & sedit annis nouem. His duobus suis patruis successit Theophylactus, & anno vigesimo quinto post Gerbertum, magistrum suum, sedem fraudulenter obtinuit, & condiscipulum suum Laurentium & Archipresbyterum Ioannem Gratianum intimos & secretorum consciens habuit.

Eodem tempore Hiltebrandus, relicto monasterio, prædicto Archipresbytero hæsit, & Archiepiscopi Laurentij magisterium secutus, in breui factus est utriusque magistri imitator egregius. Qui cum vellat, manicas suas discutiebat, & in modum scintillarum ignis diffiebat: & iis miraculis oculos simplicium veluti signo sanctitatis ludificabatur. Et quia Diabolus per paganos Christum publicè persequi non poterat, per falsum monachū sub habitu monastico, sub specie religionis, nomen Christi fraudulenter subuertere disponebat. Sed quamvis peccatis exigentibus talia fieri permitteret dispensatio diuina, tamen tempus retributionis propinquabat.

In diebus illis defuncto Conrado, legis & religionis cultore fidelissimo, Romanorum Imperatore Augusto, Theophylactus, qui & Benedictus nonus, habito consilio cum familiari suo Laurentio, & aliis suis complicibus, molitus est filium Imperatoris Conradi, Henricum Imperatorem successione Imperij exturbare, & in Ecclesia schismata diuersa seminare. Hoc enim est, quod amplius exigitur à principio à tenebrarum principe. Misit igitur coronam Romani Imperij Petro, regi Vngarico. Sed ad Petrum expugnandum direxit Imper. Henricus Ducem Lotharingæ Gotfridum, virum fidelem & bello strenuum, & inter regni Principes clarissimum. Qui primo con-

*Miserabilis
meritus.**Discipuli.**Successores.**Ioan. XIX.**Ioan. XIX.**Sergius III.**Benedictus
VIII.**Ioan. XX.**Theophylac-
tus cogni-
mento Be-
nedicti I. X.**Hiltebrati
magistri.**Praestige.**Conradus
II. Ces.**Henric. III.
F. in cumā
Papa ma-
chinalis.**Benedict.
IX. Perro,
regi Vnga-
ria, misit cō-
ronā hoc in-
scriptā ver-*

*in. Petra de
dit Romanam
Petro, tibi
Papa corona-
nam. Vide
Strumpfum
ls i. de vita
Henri. IIII.
Papat pre-
cio vendit.*

Hic tu Petrum bello captum, & omnes vicinas nationes, ne in eum aliquid præsumerent, deterruit, & ut digna factis tanti schismatis aucto-
ri Theophylacto redderet, Romam venire disposuit.

*Ioan. Grati-
anus Papa
Gregori VI.
Hiltebrandus
magister
moralis
et
theologus.*

Quo auditio Theophylactus timore perterritus, vendit Papatum complice suo prædicto Archipresbytero Ecclesiae S. Ioannis de porta Latina, magistro Hiltebrandi, acceptis ab eo libris mille quingentis. Qui ascendens sacram sedem tantæ iniquitatis gradibus, nomine mutato sextus dictus est Gregorius. Igitur Hiltebrandus in schola tam profundæ peruersitatis vsu & arte edoctus, erat tantorum fidus minister maleficiorum, & pessimis magistris peior discipulus. Quod ex fructibus perfidiae ipsius postea percepit Ecclesia, per eum sub obtenu-
tu Catholici nominis graui schismate lacerata, percepit & mundus, bellis feralibus, & immensis cædibus, ipso auctore laniatus, & sub co-
lore mellis veneno propinato hæresibus nefandissimis propè suffo-
catus.

*Sylvestor
III.*

Eisdem diebus superpositus est in Papatum prædicto Archipres-
bytero Sabinensis Episcopus, qui mutato nomine dictus est Sylvester
III. & factum est, ut Romana Ecclesia in partes diuersas scindi vide-
retur.

*Henric. III.
fedato pō
tifices folio
deterrabat.
Inangitatur
Clemente II.*

Cum autem tanta peruersitas Romam ludificaret, diuino nutu af-
fuit Imperator Henricus, & (ut multa breuiter concludam) religio-
sorum Cardinalium precibus efflagitatus, ipsis auctoribus, pro loco
officij sui, pro officio Imperiali, pro potestate sibi à sacris canonibus
concessa, ad purgandam Ecclesiam, ad exturbanum & vlciscendum
vis sacrilegos, deuotum se præbuit, Theophylactum in fugam coegit,
sextum Gregorium in custodiam reclusit, quem postea in exilium mi-
sit, Sabinensem Episcopum, quem non ambitio, sed vis ad Papatum
coegerat, ad sedem propriam redire compulit. Romana verò Eccle-
sia eius respirans auxiliis, secundum Clementem Papam elegit, sub
quo Ecclesiae unitas, à quo & subsequenter Romanorum Imp. Augu-
stus venerandæ memoriae Henricus coronatus est, & pro tantis me-
ritis vnicè glorificatus triumpho singulari, vnicì amoris priuilegium,
pellendo idololatras Simoniacos, & unitatem Ecclesiae defendendo,
promeruit.

*Deportat
Gregorium
VII. & Hil-
tebrandum
in German.
Eius inter-
pellatio &
infelix cle-
mentia.*

Quibus strenue peractis, sextum Gregorium, ut supra dictum est,
cum Hiltebrando discipulo suo in Teutonicas partes deportatione
damnauit. Nimia tamen pietate decepis, nec Ecclesiae Romanæ,
nec sibi, nec generi humano prospiciens, nouos idololatras nimis la-
xè habuit, quorum memoriam æterno carcere à contagione homi-
num remouere debuit.

*Hiltebran-
dus Grego-
ry VII. heres.*

Defuncto autem in exilio sexto illo Gregorio, Hiltebrandus per-
fidia simul & pecunia eius hæres extitit.

Damasius II.

Eodem tempore Clemens Papa defunctus est. Huic successit Da-
masius, & sedet viginti tantum & tribus diebus, veneno, ut dicitur,
propinato

propinato suffocatus. Theophylactus enim magister Hiltebrandi, post fugam reuersus Romam cum familiaris suo Laurentio, multis maleficiis sacram sedem vexabat, & per litteras discipuli sui Hiltebrandi ea, quæ in palatio Imperatoris gerebantur, resciebat. Eo igitur immaniter grassante, iterum Romana Ecclesia legatum ad Imperatorem dirigit, & vt consilio Cardinalium Papam eligendum Romam mittat, exposcit.

Bruno igitur, qui & Leo, ex consilio Cardinalium Romam invitatus & coactus dirigitur. In cuius comitatu nimia Imperatoris indulgentia permisus est reuerti Hiltebrandus, hac permissione sacerdotium pariter & regnum sub specie religionis euersurus, & iuramenta Imperatori præstata non diu seruaturus.

Brunoni igitur multa loquendo in itinere se supposuit. Et, vt Romanum venit, ab eo obtinuit, vt fieret vnu de custodibus altaris beati Petri. Et in breui loculos impleuit, & cui pecuniam illam committeret, filium cuiusdam Iudæi nouiter quidem baptizatum, sed mores numulariorum adhuc retinentem, familiarem sibi fecit. Et iam diu reconciliauerat sibi quendam alium incomparabilibus maleficiis asuetum, Gerhardum nomine, qui cognominabatur Brazutus, amicum Theophylacti, qui subdola familiaritate dicitur sex Romanos Pontifices intra spatum 13. annorum veneno suffocasse, quorum nomina hæc sunt: Clemens, qui sexto Gregorio damnato, & Theophylacto expulso, sedit mensibus nouem, & diebus septem: post Clementem Damasus, qui sedit dies 23. post Damasum Leo, qui sedit annos quinque: post Leonem Victor, qui sedit ann. 2. mensibus tribus, diebus septem: post Victorem Stephanus, qui sedit menses septem, dies 28. post Stephanum Benedictus, qui sedit menses septem, dies 20. Hic non veneno, sed vi & dolis Hiltebrandi fuit ei occitus. Post Benedictum Nicolaus, qui sedit ann. 2. mensib. 6. diebus 25.

Huius tempore Hiltebrandus prædictis duobus familiaribus suis pecuniam suam & consilia sua communicauit, & per eos venales linguis multorum sibi comparauit. Et post hæc Theophylactum antiquum dominum suum & magistrum, simulantem pœnitentiam, Leoni Papæ in dolo reconciliauit, & Theophylacti consilio & factione ipsum Papam Leonem contra Normanos armavit.

Igitur Leo Papa eorum dolos minus intelligens, & Romam deserens, Alpes transiuit, & multis Teutonicis sibi aggregatis, ad expugnandos Normanos Romam rediit, & Hiltebrando & Theophylacto instigantibus, in Apuliam contra Normanos transiuit. Et quia Theophylactus manifestè eum ladedere non audebat, simulato obsequio cum eo manens, & ingressus & egressus eius explorans, singula persecutos nuncios intimabat Normanis, & in manus eorum, Hiltebrando dictante, ipsum Papam tradidit. De quorum manibus vix Pa-

Theophylac-
tus sedem
Romanam
exeat.
Eiusdē ex-
plorator Hil-
tebrandus.

Leo IX.
Hiltebran-
dus redux.

Institut se
Leons.

Rem facit.

Adiungit ad
amicitiam
Brazutum
sex Pontif-
cum parr-
cidiam.

Perseque-
stres largi-
tiones facit.

Reconciliat
Theophyla-
ctum Leonem.

Fuit auctor
& proditor
expeditionis
Normans-
cae.

Theophila-
ctus Norma-
norū emiss-
arius.

pa (interfectis per proditionem Teutonicis) desolatus euasit.

*Vexator se-
die Rom.* Leone post modicum defuncto, Theophylactus de parentum po-
tentia præsumens, Romanā Ecclesiam, quam prius toties vexauerat,
iterum vexare non destitit.

*Hiltebran-
di artes.* Interim Hiltebrandus, nouus Proteus, nouis præsumens tergiuer-
sationibus, de Roma ad Imperatorem, de Imperatore ad Romanam abs-
que consilio Romanæ Ecclesiæ discurrebat. Et si quis alius in Papa-
tum eligeretur quam ipse, prædictus Gerhardus, cognomine Brazu-
tus, familiaris eius, in breui illum veneno suffocabat.

*Ambitus de
Archidia-
conatu.* Postquam autem sedit Nicolaus Papa, Hiltebrandus, quia Papa-
tum adipisci non potuit, ad archidiaconatum quoquo modo inua-
dendum se conuertit. Et Mancium tunc archidiaconum Romanæ
Ecclesiæ multis iniuriis affixit & circumuenit. Qui vietus contume-
liis & dolis, & pecunia deceptus Hiltebrandi, ad ultimum concessit,
vt Hiltebrandus vice eius archidiaconatu fungeretur.

Violentia. Hac concessione Hiltebrandus arrepta, Nicolaum Papam ex im-
prouiso aggressus, coegerit inuerecundis precibus & minis militum,
quos pecunia collegerat, metum etiam mortis quibusdam terribili-
bus significationibus incutiendo, vt eum archidiaconum ordinaret
& constitueret. Et post paucos dies ipse Nicolaus defunctus est, vene-
no, vt dicitur, suffocatus.

Rapta. Cardinales autem ambitionem Hiltebrandi non ignorantes, Im-
peratorem multis precibus coegerunt, vt eis in electo suo Parmensi
Episcopo Cadolo fauorem & auxilium præstaret. Quod factum cor
Hiltebrandi altius percussit. Et manifestè factus est Imperatoris ini-
micus. Omnia iuratæ fidelitatis vincula disrupt: & facta conspira-
tione cum inimicis Imperatoris & cum Normanis, quem Parmensi
Episcopo Cadolo, à Cardinalibus electo, opponeret, Anshelmum,
Lucensem Episcopum, decepit, & eum in Papam eligi à quibusdam
Romanis fecit. Et ipsum Anshelmum, mutato nomine, Alexandrum
vocauerunt.

*Iniuria in
Grenz-Pa-
pam.* Igitur Anshelmum, quem in dolo elegerunt, pariter & Parmen-
sem Episcopum, quibus poterat artibus vexabat, quia utriusque succe-
dere anhelabat.

Igitur vbi Alexander intellexit, se dolis & arte ab Hiltebrando &
inimicis Imperatoris electum & intronizatum, die quodam, cùm in-
tra missarum solennia sermonem haberet ad populum, prædicauit se
nolle sedere in sede Apostolica absque licentia & gratia Imperatoris.
Et publicè dixit, se litteras huius rei gratia missurum ipsi Imperatori.
*Insania in
Alexandriæ
moris maso-
rum obser-
uantem.* Quo auditio, Hiltebrandus vix manus, multa murmurando, donec
missa completeretur, abstinuit. Missa expleta, ipsum Alexandrum cum
militari manu ab altari duxit in cameram, & nondum exutum Pon-
tificialibus indumentis, pugnis durè colaphizauit, increpans & impro-
perans,

perans, quod vellet inquirere gratiam Imperatoris. Et statuit, ut ex eo die non daretur ei amplius quam quinque solidi Lucensium denariorum. Et ex tunc ipse Hiltebrandus omnes redditus Romanæ Ecclesiæ sibi retinuit, & immensam pecuniam congregauit.

Alexandro igitur sub miserabili iugo Hiltebrandi quodam vespero defuncto, eadem hora Hiltebrandus à suis militibus sine assensu cleri & populi est intronizatus, timens, ne alius per moram eligetur. In cuius electione nullus Cardinalium subscripsit. Ad quem cum veniret Abbas Cassinensis, ait ipse Hiltebrandus: Frater, nimium tardasti. Respondit Abbas: Et tu Hiltebrande nimium festinasti, qui nondum sepulto domino tuo, Papa, sedem Apostolicam contra canones usurpati. Hoc modo intronizatus Hiltebrandus, qualiter vivierit, qualiter à se Cardinales, qui testes vitae & doctrinæ eius esse debuerant, remouerit, quam miserabiliter vexauerit, quantis hæresibus mundum corruperit, quanta periuria, quam immensas perditiones consecrauerit, vix à multis describi potest. Clamat tamen altius sanguis Christianorum, eo auctore & incentore miserabiliter effusus.

*HOC EST DECRETVM HILTEBRANDI, IN
quo à doctrina & fide catholica aberrauit.*

REGORIVS Papa Romanæ Synodo præsidens dixit: Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate à sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruēt, omnibus modis prohibemus. Item: Et quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, de victu vna anathematis sententiam ad tempus, pro ut possimus, temperamus opportunè. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo liberamus, videlicet vxores, liberos, seruos, ancillas seu mancipia, nec non rusticos & seruientes, & omnes alios, qui nō adeò curiales sunt, ut eorū consilio scelera perpetrētur, & illos, qui ignoranter excommunicatis excommunicant, seu illos qui communicat cum iis, qui communicant excommunicatis. Quicquid autem aut orator, aut peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deuenenter, ubi non possit emere, & non habet unde emitat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non pro sustentatione superbiæ sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, non prohibemus.

*LITTERAE, QVIBVS VOCATI SVNT
Hiltebrandini ad audientiam.*

ADELBERTVS, Episcopus S. Rufinæ, syluae candidæ, Ioannes, Episcopus Hostiensis, Hugo, Episcopus Praenestinus, Albertus, Episcopus Nephelinus, Benno, Cardinalis presbyter urbis Romæ, Romanus, Cardinalis presbyter urbis Romæ, Guido, Cardinalis presbyter urbis Romæ, Octavianus, Cardinalis presbyter designatus, Paulus, Primicerius Romanæ Ecclesiæ, Nicolaus, electus Abbas S. Sylvestri urbis Romæ, N. Abbas S. Pancratij urbis Romæ, & clerus: Et clarissimi principes laici, Theobaldus Chinebij & Vdalricus de S. Eustathio, & populus Romanus, omnibus Deum timentibus & salutem Romanæ reipub. diligentibus.

Nolumus ignorare prudentiam vestram, quod ad destruendas hæreses, nouiter ab Hildebrando inuentas, & antiquas sub nomine pietatis impiæ ab ipso renouatas, & ad defensionem fidei catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui nouiter ipsam fidem catholicam (quantum in ipsis erat) scindere non timuerunt, Deo authore, Nonis apud S. Blasium conuenimus, octavo Idus apud S. Celsum, seprimo Idus apud S. Mariam in Ecclesia, quæ vocatur Rotunda, confidimus, ipsas hæreses damnatas sicut maiores nostri & nos damnavimus, omnes sectatores, communicatores, complices semel damnatae prauitatis pari sorte censemus, ne si vel paululum taceamus, consentire videamur. Eos verò, qui authoribus errorum communicant, data securitate liberè veniendi & abeundi, vocamus, & ut per maiores suos dominum Raynerium & Ioannem Burgundionem causam suam agant, admonemus: securitatem integrum in quantum possumus usque ad festum omnium sanctorum proponimus, etiam cum in causa sua defecerint, neminem circumuenientes, nullius sanguinem, sed omnium vitam & honorem sitientes, nec seditiones in populo commouentes. De causa enim sua diffidere videtur, quisquis auctor est seditionis. Pacem verò & dilectionem synceram proponimus omnibus, pacem & veritatem & unitatem catholicæ Ecclesiæ amplectentibus, ut simus filii patris nostri, qui in cœlis est. Qui enim ex patre Diabolo sunt, opera patris sui faciunt conspirationibus, seditionibus, & cuius filii sint, manifestè ostendunt. Nos verò illius discipuli esse desideramus, cuius doctrina etiam inimicis sanè est intelligenda. Orient pro nobis Ecclesiæ filii, ut crescat sermo Domini, &c. Data Romæ contra schismaticos in sacro conuentu, Anno ab incarnatione Domini 1098. indictione sexta, 7. Id. Augusti.

Hiltebradi.
morum per-
missaciam.
In eodem
nouum de-
crevum.

His litteris vocati sunt. Declinarunt autem audientiam schismati- ci per 16. annos, per obsides potentes & clarissimos, et si per sacramenta inuitati, ne caperentur suis mendaciis, ne suis libellis conuinceren- tur, quibus auctores eorum corruerunt terram hæresibus variis, longè lateque disseminatis per Apostolos multiplicis erroris. Sacer et iam conuentus toties deprehensa eorum versutia, in conspectu Eccle- siæ coram

siæ coram multitudine Romanorum ait: Eos, quis sanctam Ecclesiam scindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam D E O auctore celebrare disposuimus circa Calend. Nouembr. In præsenti tamen, quia venire renuunt, testes inuocamus contra eos cœlum & terram, quod nullum consensum adhibemus eorum peruersitati. Et in testimonium illius in medio Ecclesiæ, in conspectu angelorum & hominum, incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ peruerterunt, verbum Dei adulterantes, sub ementito colore pietatis quærentes plus se, quam fidem catholicam amari. Qui per 16. annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris errorum assueti, falsis expositionibus violenter intorquentes scripturas in adiumentum nefandissimi schismatis.

Hiltebrandus in extremis suis vocauit ad se vnum de Cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ cæteris, & confessus est omnipotenti Deo, & toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura, quæ ei ad regendum erat commissa. Atque hunc confessorem suum misit ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, ut optarent illi veniam.

*Libri ex*ss*.
f*n*.*

*Hiltebran-
dus moritu-
rus imp. C^o
Ecclesiæ in-
iuriarū Ge-
niā poscit.*

F I N I S.



